









Res  

---

420

Res 420(1)  
R. 375585  
Tit 147260  
C 119511

Res 420(2)  
R 375713  
Tit 147263  
C 119514

R 375713















S. R. Lib. 6. Cap. 4

2768

# IO. GENESII

SEPVVEDAE CORDVBEN  
sis Artium & Theologiae Magistri antapolo  
gia pro Alberto pio Comite Car  
pensi in Erasmus  
Roterodamum.



A. N. S. C. 17. A

IO. GENESIT

REP. V. L. D. A. E. CORDOBA  
de Animo & Theologiae Magistri Augustini  
scripto Alberto pro Comite  
p. m. in Hispania  
Rotterdam



AD GRAVISSIMUM PRÆ-  
sulem & illustrem dominum Rodulfum Pium,  
Episcopum Faentinum Io. Genesii Sepul-  
uedæ præfatio, in Antapologiam, pro  
Alberto pio Principe Carpensi, in  
Erasmum Roterodamum.



Unquē putaram Rodulfe Pie præ-  
sul grauiissime, post Alberti Pii  
Principis Carpensis patruī tui,  
meiq; patroni obitum, qui nuper  
nobis id est suis iustissimum, maximumq; dolo-  
rem attulit, illi uero ingentium laborum, & mo-  
lestiarum finem imposuisse uidebatur, quidq;  
euenire posse, quod uel nostrū mœrorem auge-  
ret, uel eius quoquomodo quietē, & trāquilli-  
tatē sollicitaret. uir enim ut sapientia, & doctri-  
na, omni deniq; humanitate præditus, & animi  
magnitudine, cæterisq; uirtutibus præstans, sic  
rebus gestis p̄clarus, obiit procul a patria, pa-  
terna ditione, atq; opibus, iniquitate fortunæ des-  
iectus, quæ plerūq; solet inuidere summæ uirtu-  
ti, & uiris optimis, ac sapientibus bellum indice-  
re, eosdēq; uelut studiose, & pertinaciter insecta-  
ri, quā calamitatem uehementer augebat diuis-  
turnus morbus articularis, quo atrociter idē, &  
frequentissime uexabatur. Tantis igitur mole-  
stis, & calamitatibus exhaustis, quis non pu-



caſſet, illum ſæuiciæ ſuæ fortunæ, dum ex hac ui-  
ta, ſuo quidem optabili, ſed ſuorum incommo-  
diſſimo tempore migraret ſatiſfeciffe. At ecce  
iterū fortuna eadē renouat bella priſtina poſt  
mortem, nec illius manes ſinit in optata pace,  
hoc eſt nomē eius in mētibus hominū cum di-  
gnitate quieſcere, quaſi uolēs claro documento  
docere, uerum eſſe quod Ariſtoteles tradidit,  
etiam in mortuos licere quidq; fortunæ temeri-  
tati. Neq; enim defuerunt importuno, prauoq;  
homines ingenio, qui technis, & calumniis eius  
famæ infidiantes, Eraſmum uirum alioquin  
(ut de egregia eius eloquentia, doctrinaque  
taceam) & probum, & moderatum eo compus-  
lerint falſis, & calūnioſis delationibus, ut librū  
ediderit in Albertum Pium utroq; ipſorum in-  
digniſſimū, quo uirū præſtantiſſimum, quantum  
quidē in ipſo fuit, infamaret, & ſui oblitus, male-  
dictis, atq; conuiciis præter omne decorum in-  
ceſſeret. Quorum conatibus ut occurrerē, offi-  
cī mei, ac pietatis potius erga illum eſſe multis  
iuſtiſq; de cauſis exiſtimaui. Iſtorum igitur ca-  
lumniis reſpondere, ac Eraſmi querimoniis ſa-  
tisfacere conſtuiti hoc libello, quē ad te mitto,  
qui patruī gloriā, atq; præſtantiam, honeſtiſ-  
ſimis, ſed ſœlicioribus (ut ſpero & precor) ſtudi-  
is, ingentibusq; uirtutibus æmularis, & es ipſi-  
us, ut cæterarum rerum, ſic familiaritatū, & cli-



entelarum legitimus hæres. ne cum eius in me  
meritorum, & benevolentia optimus ipse sis  
testis, ingrati animi uiciũ, a quo semper abhor  
rui, iure mihi posses obiectare, si minus aduer  
sus istorum, a quibus summa iniuria fama illis  
us in discrimen uocatur, criminationes patro  
no cliẽs (quando sic tuhit præpostera fortuna)  
quantum ingenio, & industria cõsequi possem  
patrocinarer, in causa præsertim ipsius  
tam honesta, & expedita, ut com  
moda oratio neminem quã  
libet indẽsertum  
deficere posse  
uideatur.








IO. GENESII SEPVLVEDAE

Cordubensis, pro Alberto Pio principe

Carpensi Antapologia in

Erasmum Roterodamū,



POLOGETICVM

librum Erasme proxime

editum a te in Albertum

pium principē Carpen-

sem, inuitissimus perles-

gi, ac certamen, quod cū

ipsius manibus institui-

sti, cū meo magno dolore spectauī. dolui enim

& quidem uehementer utriusq; uestrum nomi-

ne, tuo, cuius semper fui studiosus, propter ele-

gans ingenium, & præstātem doctrinam tuam,

quod oblitus theologici decori, non satis e tua

modestia, & quæ tibi frequēs in ore est, christias-

na charitate, acerbitem animi tui utcunq; il-

latam temperaueris, Illius q; princeps singula-

ri pietate, grauissimus, & doctissimus, iis cons-

uiciis, & contumeliis incessitur, quæ uix cadāt

in semissem, ac dissolutum hominem, leuiculum

& ab omni litteratura abhorrentem. Histrion

enim a te fit, & quidem ineptus, dum ipsum fas-

cis aliena persona indutum fabulam frigide sal-

tare, extrema leuitate notatur, dum alieno non

labore tantum, sed etiam ingenio inane, ac



puerilem gloriã eundẽ captare iactas. Iam uero  
litterarum quid ei relinquis, cui theologiã, ac  
philosophiã cognitionem demis, & politici oris  
litteraturã omniſq; ingenuarum Artium noti  
ciam detrahis, cũ conſtet ipſum cæteris ſtudiis  
non inſeruiſſe? Quæ conuiciorum importuſ  
na iactatio, quãquam apud eos, qui huius ſum  
mi uiri ingentes uirtutes, ac omnis doctrinã  
præſtãtiã perſpexerunt, non plus habeat pō  
deris, nec minore cachinno excipiatur, quã ua  
na quondam pronũtiatio zopyri in Socratem  
uirum diuinum, multa uicia ex eius forma col  
ligentis, apud Alcibiadem, & cæteros Socratis  
familiares, talium in eo uiciorum ne ueſtigium  
quidem agnōcentes, tamen apud cæteros, quã  
tus eſſet Albertus pius ignorantes, ipſamq; po  
ſteritatem, tam dirum habet ſpōte ſua uenenũ,  
tam gloriã, & exiſtimationi illius pernicioſum,  
ut ab iis, quibus Alberti nomen debet eſſe curã,  
memoriaq; chara ſine ſcelere, & impietate negli  
gi non poſſe uideatur. Scio igitur multos fore,  
qui uelint, & poſſint maledicta tua refellendo,  
ſamẽ eius patrocinari, hoc tamen officiũ ma  
gis a me uideo, & potiore quodam iure, quam  
a cæteris expectari. Primum quia nemo me fa  
miliarius Albertum piũ coluit, nemini ma  
ior fuit occaſio, mores illius, & doctrinam co  
gnoscẽdi. Deinde quoniã cum illi Principi mul  
ti



ti multa debeant, ego nihil me non debere profiteor, qui me Bononia ex collegio hispanorū, propter nonnullā fortasse, quā de studiis meis habebat opinionem, ad se sponte sua uocatum (ut uir doctissimus hominum non indoctorum familiari consuetudine delectabatur) tam humane semper, tamq̃ amanter multos annos tractauit, ut nihil uel honoris, uel benignitatis, nil deniq̃ fauoris cuiquā suorū tribuerit, quod mihi non fuerit sane lubēs impartitus, quorum beneficiorum immemorem agere, hominis esset non solum ingrati, sed etiā inhumani. Postremo quod caput est, quoniā ubi tu conaris ingenii eius, atq̃ doctrinæ laudem ad alios detorque, aliquot te nominare posse nimis artificiose dixisti, sed me unum nominasti, cuius ille abuteretur opera, ad fabulam istam peragendam, quam tu, uel (quod magis credo) homines aliqui calumniosi, qui ad te tam impudens mendacium detulerūt, ut a te gratiam aliquam inirent, stulte admodū cōmentisunt, Quam de me prædicationē falsam imprimis si dissimulantes, & silētio præterissem: an non merito argui possem, arrogare mihi alienā gloriā, & per summū flagitiū istorū artificū technis obsecūdare? Prouinciam igitur, quam recusare sine scelere non poteram, sponte suscepi, sed eo animo, non ut Erasmi famam læderem, cuius ingenio fa-

B



uero acuto imprimis & eleganti, & doctrinam magni facio, sed ut me istorum conatibus opponerem, qui mei dum uiueret, amantem patronum, & optime de me meritum infamare tentarunt, nec paterer ab importunis ingeniis, uiro optimo, illustri, atque doctissimo turpissimam notam inuri, & eius nominis splendorem tenebris commenticiis obfuscar. quod si absque animi tui offensione aliqua praestari non poterit, tibi assignabis Erasme, qui nos libello tuo in tam iniurias angustias coniecisti, ut inde aliter exire non liceat, nisi facta eruptione per eas copias, quas acie infesta, sed parum firma in Albertum collocasti, dum partim indulgeres stomacho tuo, partim uanissimorum hominum figmentis acquiesceres. Neque enim adduci possum (ut paulo ante dicebam) Erasmus uirum probum, & pi-um, eo ~~cacisimoris~~ processisse, ut quae falso iacetat de Alberto Pio, ipse sit per maliciosam calumniam commentus. sed ab aliis ad se uanissime, & flagitiose delata referre. In quo tamen ea culpa tua est. Primum quod delatione, non dico uera, sed ne probabili quidem omnino, ~~tenere~~ <sup>forte</sup> credita animum induxeris, ea litteris mandare, quae ut uanissima esse omnes sciunt, qui Albertum Pium nouerunt, sic nec probare ualeas ullo modo, nec cordato cuiusque homini de tanto uiro persuadere, deinde quod tuo malueris stomacho



indulgere, q̄ iudicio obtemperare. qui cum scis  
res turpe, atq; impium haberi, ueteri etiã pro  
uerbio uetante, mortuis maledicere, leuissima  
tamen excusatione usus, q̄ mortui in te scribãt,  
Alberti Pii manes improperiis & cõuiciis ex  
agitare decreueris. Nõ est turpe Erasme in mor  
tuos scribere, si parcas famæ, falso dicta uel acri  
ter, si libeat, insecteris, Hoc enim nõ ueteres tan  
tum Philosophi, uerum etiã Christiani, & egre  
gia pietate uiri (quod ipse non ignoras) factita  
runt. Sed mortuos incessere maledictis, & nomi  
ni ipsorũ insidiari, turpe habetur & nefarium.  
At responsurum te carptim citra Alberti nomi  
nis contumeliam, in ipsa libri præfatione polli  
ceris, idq; tum in epistola, tum in responsione  
abunde a te præstitum profiteris. Quid pro  
missum, uerbaq; audiam, cum facta uideam: ru  
dem theologiæ illum fuisse contendis, Philoso  
phastrum uocas, nugatorem, mendacem, surdã  
aspidem, senem delirum, impudentem, calũnia  
torem appellas, & dicis te a cõtumeliis tempe  
rare? An postulas haberi, agiq; modestiæ tuæ  
gratias, q̄ uirum innocentissimũ, re non minus,  
quam cognomine pium, sicarium, parricidam,  
proditorem patriæ, aut hæreticum, & impium  
non appellaueris? Nam q̄ ais te in epistola, &  
responsione citra contumeliam egisse cum Al  
berto, nihilo meliorẽ facis causam tuam, uideri



enim potes, auctoritate uiuētis deterritus, non uoluntate, & consilio tunc a maledictis abstinuisse, qui uix elatum tantis improperiis laceraueris. Sed percussus inquis referio, & factū (si Deo placet) excusas exemplo Christi, qui non tacite passus est eorum malitiam, a quibus habere demoniū, & rursus in Beelzebub eiicere demonia infimulabatur. Ita credo par scelus est, aut simile flagitium affirmantium Erasmi quidē perperam uel locutum esse uel sensisse, & eorum qui Christum habere demoniū calūniabantur, & tam uere tamq̃ moderate obtrectauit Erasmus, maledixitq̃ pio, quam Christus castigauit Iudeorū calumniatores. Facile est, & dicta, & facta Christi cōmemorare, at imitari longe difficillimum. Quāq̃ igitur qui christum audit, is malum pro malo non reddit, sed tolerando uincit aduersarium, non tamen a te requirimus Erasme eam patientiam, quæ a Christo in Euāgelio cōmēdatur, ut percussus una maxilla præbeas alteram feriendam, sed maxime uellemus, ne leuiter ictus, mortiferam (quātum in te fuit) plagam incussisses, nec te ad cōuicia iactanda, sed ad prudenter respondendū, & quæ obiiciebantur modeste refutandum comparasses. Sed clamabis, fat scio, te non leuiter ictum a Pio, sed grauissime, quātum quidē in ipso fuerit, uulneratum, qui si te non mendacem dixerit, non



nugatorem, non calumniosum, non hæreticum,  
ea tamen de te scripserit, quæ si uera sint, uix  
huiusmodi criminum turpem notam effugere,  
ualeas, Quam uera sint, quæ in te Pius scripse-  
rit, postea uidero, neq; enim ab re fuerit, aliqua  
summatim, & strictim attingere, ut probata in  
parte uiris prudentibus Alberti causa, qualis in  
toto fuerit, non possit dubitari. Illud certe cõfir-  
mare possum, te perhumaniter ab ipso fuisse tra-  
ctatum, & nullis apertis conuiciis, nisi perquam  
leuibus laceffitum, notare autẽ quædam in tuis  
scriptis, quæ falso, aut nõ satis uel grauiter, uel  
constanter, quæue minus catholice dicta esse ui-  
deantur, nõ est conuicia in te iactare, nec famã  
tuam studiose lædere, sed inseruire ueritati, ma-  
iestatiq; Christianæ religionis adesse. Iam  
uero quanti refert, quibus uerbis res quæq; sig-  
nificetur? Ablatum a te quidquam audias, an  
furto surreptũ? parum religiose dictum, an im-  
pie, mentiris respondeas, an non feci? erras, an  
calũniaris? Sed quoniã ipse, q; acriore, quam  
uelles censura scripta tua uexarentur, semel do-  
lore incitatus cohiberi nõ potuisti, quo minus  
sæue in Albertũ Pium inuehereris, iã (si placet)  
qualia sint, quæ illi obiicis consideremus  
Initio præfaris, ipsum nõ suo iudicio, sed quo-  
rundam hortatu operã in te scribẽdi suscepisse.  
Hoc si tuum est inuentum, iniuste facis, & pag.



Euangelice, qui uiro, quo nihil grauius fingi po-  
test, summam leuitatis notam inurere moliris.  
Si ab aliis ad te delatum, <sup>facile</sup> ~~temere~~ admodū cre-  
didisti. Quid enim habet probabilitatis, homi-  
nem afflicta ualetudine, & mole, atq; cura rerū  
maximarum pressum, non reip. uel religionis  
causa, sed ut libidini nescio quorum inferuīret,  
rem suscepisse difficilem, atq; laboriosam, & pa-  
rum laudis habituram? Aut quis esset tam im-  
pudenter audax, ut uiro principi, ac (ut dixi)  
impeditissimo, ab articulariq; morbo uix pau-  
ca interualla quietis impetranti, tātum molesti  
oneris tētaret imponere? ad summā quo præ-  
mio ueræ laudis adduci poterat uir eo splen-  
dore, doctrina, & grauitate? Gloriosum inquis  
fortasse putauit in Erasmus scribere. Quam  
uane tibi blandiebatur Erasme, quisquis te in  
istam persuasionem detrudere curauit. Quam  
longe abhorrent ista ab iis, quæ in epistola tua  
Albertum Pium de te prædicare solitum esse  
conquestus es, Erasmus nec philosophum esse,  
nec theologū, nec ullius solidæ doctrinæ. Quis-  
quam ne talia sentit de Erasmo, & gloriosum  
putat in Erasmus scribere? At falsa fuit inquis  
delatio, ut idē affirmat in epistola sua, talia unq;   
ipsum iactasse de Erasmo. Ita equidē existimo,  
tanta enim erat illius uiri modestia, tāta huma-  
nitas in eos præsertim, quos uel mediocris eru-



ditio commendaret, ut eorū lapsus, si qui essent, excusare ingeniose, & quidquid esset laudabile, in maius etiam extollere libenter solet, tantum abest, ut de uiris egregiis, male præter meritum loqueretur. At ipse urges in tua responsione, & libello, testesq; producere paratus es, quibus eum, quæ dixisse negat, iactare solitum esse cōuincas. Sed credamus Albertum de tua doctrina bene & loqui solitum, & sentire, statim ne gloriosum putaret in te scribere uir tātus, tā illustris, tam nō ambiciosus, & quod in primis meminisse debebas, in Italia natus, nec ignarus, qualis esset cæterorum Italorum de te opinio. Quos nō perinde solitos esse demirari scripta tua, ac germanos tuos, & meorum Hispanorū plerosq;, miror si tibi non est abūde exploratū. Nam quod ad te de Alberti uocibus uane, ut opinor, delatū est, id de multis Italorum non parui nominis, nec uulgaris doctrinæ, citra mē dacium deferrī potuisse, certo scio. cū quibus profecto mihi, ut possem magnos uiros citare testes, ingēs pro te sæpe concertatio fuit, cum ferre non possem, quorundam fastum, tuiq; contemptum, qui te philosophiæ expertem esse dicerent, Luciani magis, quam Aristotelis familiarē, duplici utentes argumēto. Primum, quod homo græca interpretādī studio deditus, Luciani fabellas, quarū cognitiōe latini, & theologi,



& philosophi, sine ulla religionis: aut morum iactura carere poterant, latine expresseris diligenter, Aristotelis ne uerbum quidem conuerteris, cum essent non pauca illius uiri diuini opera de philosophia, quæ partim perperam, partim barbare conuersa, latinam orationem desiderabant. Deinde quæ cum innumeros propemodum libellos edere nunquam desistas, nullum tamen unquam physicum argumentum tractaueris. In theologicis porro ita te uersatum esse dicunt, ut multa in tuis libris sint, quæ doctissimorum theologorum consensu reiiciantur. Cum uero ad humaniores litteras uentum est, quod demere non possunt, magnam tibi lectionem concedunt, ingenii promptitudinem, & argutias, orationisque copiam tribuunt, sed dicendi characterem, licet interdum exsurgas, humilem esse contendunt, & parum habentem grauitatis, ad summam, minus nimine ciceronianum, ita te fecundum esse, magis, quam facundum, dicentis potius, & argutis, quam sententiis, orationisque uirtutibus lectorem allicientem. Sed ista inquis maleuolorum figmenta sunt, Quis negat? leuique fundamento fabricata, non eo inficias. nec ex iudicio, sed a quorundam ~~italorum~~ inuidia profecta, qui uolentes suos in omni genere litterarum excellere, indignari uidentur, si quis ultra montes natus, ad rerum doctrinam, orationis quoque ornamenta

adieu



adiēcisse putetur . Hoc quoq; tibi facile assensuar, quí simili oratione uti soleo, ad conatus te sic impetentium reprimendos, atq; equidē uellem id quā plurimis esset persuasum, ut si quid in meis scriptis, quæ nō pauca, partim ex Aristotele, aliisq; græcis philosophis in latinum conuersa, partim meo labore lucubrata, in manus hominum exierunt, nasuti homines improbaarent, possem cum aliquorum fide culpam a mea tarditate, ad illorum inuidentiā transferre. nam & ego licet iam sextūdecimū annum agam in Italia, ultra montes tamen natus sum: in Bæthica, non in Lusitania, ut ipse cū iterum Ciceronianum scriberes, putasti, deceptus fortasse prouinciarum confinio, quæ in Hispania ulteriore, fluuio duntaxat Ana interfuente dirimuntur. licet Bæthis, qui prouinciæ nomē dedit, Cordubam alluat, unde nos esse legeras uerz in meo de fato & libero arbitrio aduersus Lutherum libello, Hūc enim a te designatum puto, cū me edito Romæ libello, præclarā spem de me præbuisse, in eodē Ciceroniano scriberes. quē cum anno superiore legissem, te p litteras huius perleuis lapsus admonui, & egi gratias pro tam honorifico testimonio. Nam licet nō ignorare, quam uim habeat oratio, spē dūtaxat in homine iā pmodū quadragenario laudātis, ut solet adolescētū indoles, cū facta nequeūt cōinē

C



dari, Illud tamen me tibi debere intelligebam, quod fecisses perhumaniter, ut malles de spe futuræ uirtutis, quam de præsentibus uiciis, quæ illi ætati condonare uidebaris, meminisse. Sed ad Italorum de te iudicium, uel inuidū potius (ut ipsi interpretamur) sermonem redeo. Qui probari potest, qui talia de te (licet falsa sint) prædicare solent, horum quempiam doctrina non uulgari in te scribere gloriosum putare? Nedū Albertum Pium, uirum illa doctrina, & auctoritate, cui hoc ipsum a plerisque Italorum obiicitur, quod oblitus suæ dignitatis, in certamen descendere sustinuerit, cuius etiā uictoria parum esset habitura laudis.

Quid igitur causæ fuit, cur Albertus Pius in Erasmus scriberet? quid? nisi quod ipse in suis libris testatum reliquit? Primum, quia prouocatum ipsum epistola tua, nec urbanitas tacere, nec suæ dignitatis ratio permittebat, ne uel superbi, si te responso non dignari, uel indoctæ tarditatis conscii notam incurreret, si tibi ad obiecta respondere non ausus fuisset uideretur. Quamquam igitur epistolæ tuæ multo paucioribus responderi potuit, tamen quia tu conquestus eras in ea, quod ille scripta tua seminaria faceret Lutherani furoris, hac admonitione semel emissus, cohiberi non potuit, quo minus in eo campo paulo latius diuageretur. Deinde emissio epistolari



libello, cum tu paulo concitatius respondisses, & pleraque, quæ ille affirmabat, magna uoce negasses, cōmenticia esse iactans multa, quæ a te dicta citabat, non putauit sibi iam integrū esse, salua dignitate tacere, qui silentio causam optimam proditurus uidebatur. Scripsit igit̃ opus illud elegans, & doctissimum, tibi tamen summo opere ingratum, magno suo & labore, & ingenio, tum ut quæ prius dixerat, confirmaret, tum ut quæ in epistolari libro strictim perstrinxerat dilataret.

Obiicis deinde Alberto Pio, q̃ libros in te nullo suo ingenio, nulla sua doctrina, sed quorundam nescio quorum opera confectos, parum pudenter ediderit. quosdam enim contendis testimonio scripturarum ei suppeditasse, alios loca, quæ carperet ex tuis libris perperā magna ex parte decerpta suggestisse, alios expoliuisse dictionē, & uerba latina subministrasse, ad summam in libris Alberti Pii, nihil ipsius esse, præter nomen, & carpendi libidinem, ac gloriolæ cuiusdam cupiditatem. Quo in loco, crede mihi Erasme, acumen ingenii tui magnopere desiderauit, qui cum talem criminationem a falsis delatoribus deceptus adornares, non uideris, te rem moliri, non dico falsam, sed incredibilem prorsus, & omnium, qui legissent iudicio, statim reiiciendam. Nam cum duo potissimum sint,



quæ falsis criminationibus locum faciunt, & struendæ calumniæ præbent occasionem, alterum, si quod obiicitur, ab eius, qui accusatur facultate, natura, & moribus non abhorrere constet, alterum si eadem qualia in eodem sint, ob eius obscuritatem ignorentur, utrūq; profecto magnopere defuit istorum calūniæ. Quis est enim aliquo numero, quis paulo modo doctior, non solum in Italia, sed etiam in Gallia, Germaniâq; omni, & Hispania, qui Albertum Pium ignoret? Quis porro Albertum Pium nouit, cui non sit audita, notaq; sapientia eius, doctrina, & eloquentia? qui ab ineunte ætate, litterarum studio deditus, hortante ad id Ioanne pico Mirandula ipsius auūculo, qui eius indolem florentissimam non ignorauit, tantum assidua cura, & ingenii fælicitate profecit, ut iam inde ab adolescentia, inter philosophiæ, ac ingenuarum artium eruditos excellere putaretur. quod Aldus Manutius, quo præceptore humaniorum litterarum fuerat usus, in multis librorum, quos ei nuncupauit præfationibus, testatus est. Agressus deinde sacrarum litterarum, theologiæq; studiū (ut erat ille uir natura perq; pius) non se ita cōparauit, ut studiorum amenitates, quæ admodū pigri, tardiq; solēt, sequeretur, sed quāto spinosius quodq; esse, ac plus habere difficultatis itelligebat, tātō cupidius, i hoc



studiosiusq; incubebat, itaq; in scholastica theologia, cum caeterorum quoq; theologorum doctrinā perdiscendā sibi statuisset, Scoti tamen enigmata ante omnia peruestiganda sibi proposuit, putans uidelicet id, quod euenit, hac uelut Sphinge superata, nihil tam difficile fore, quod nō eius ingenio, ac diligentiae concessurū esse uideretur. cuius uictoriae compos factus, quem non ille legit Scholasticorū theologorū quam non quaestionem, uel publice uel priuatim cū uiris doctissimis disputauit, quod munus & libentissime, & cū admiratione omnium usurpabat. nihil enim illius ingenio acrius, nihil praesencius, nil deniq; perspicacius, ut sermonis lepore, ac uocis moderationē omittā, quibus dici nō pōt, quātū sibi audiētū anīos cōciliaret.

Nec mirum ingeniosum, & diligentem hominē in eam doctrinae magnitudinē euasisse, qui semper habuit domi uiros Italiae in omni genere litterarum doctissimos, quibus partim praecipitibus, partim sociis studiorū ad litterarias exercitatiōes uteretur. quorū fuere Aldus Mantius, Tryphon Bizantius, Marcus Musurus, uiri utriusq; linguae cognitione praestātes. Petrus Pomponatius praceptor meus, Ioānes Mōsdocus Hispalensis summi uiri in doctrina peripatetica. quorum ille Bononiae, hic theologiae quoq; cognitione praestans, Pisis atq; Patauii



maximīs præmiīs publicē propositis, philosophiam docuerunt. Andreas Barrus magnus itē philosophus, adhæc Gratianus Brixien̄sis, cuius extant in Scotum cōmentaria, monachus Frāciscanus, Valerius eremita, uiri theologiæ sacrarumq; litterarū peritissimi. ut multos alios præteream egregia doctrina uiros, cū quibus, quid quid ocii ac temporis a publicis negotiis dabatur, disputando, ac de studio litterarum, rebusq; honestissimis colloquēdo, libentissime cōsumebat, uir non institutione tantum, sed natura quoq; ab omni uoluptate, libidineq; alienissimus. quod enim ocium adolēscētes ea fortuna iuuenesq; alii ludo, canibus, aut ueneri dare solent, id Albertus Pius litteris, ac honestissimarum rerum cognitioni tribuebat, & erat forma, orisq; dignitate, ac reliqua proceri corporis habitudine, & suauiloquentia, cum quo uel nullus posset in Italia, uel pauci admodum cōparari. Ne quis forte putet præter opes, & generis claritatem reliquas illi uoluptatum occasiones defuisse. Sed cum robustiores annos in studiorum quasi palestra, & scholasticis disceptationibus consumpsisset, ætate ingrauescēte, studium trāsfert ad mitiorem, magisq; & iocundam, & fructuosam Augustini, Hieronymiq; & aliorum ueterū, & grauissimorū theologorū lectionem. quos cum eorū monumēta noctu, dieq; uersaret



fic admirabatur, ut Thomam tamen, ac Scotū  
spernendos non putaret, reliquosq; scholasticos  
theologos, qui theologiam munire armis phi-  
losophiæ, quibus oppugnari solebat docuerūt.  
Iam uero sacras litteras tam familiares sibi fece-  
rat lectitando, ut nemini magis domus sua no-  
ta esset (ut inq; ille poeta) quā ipsi historia utri-  
usq; testamenti. Quanc; igitur Albertus Pius  
reip. administrationi multorum annorū præ-  
cipuam curam impenderit legationibus a ma-  
ximis principibus, apud Iulium, Leonem, &  
Clementem Pontifices maximos functus, qui  
& ipsi prudentia eius, & consilio in summis re-  
bus utebantur, quidquid tamen temporis rei-  
publicæ supererat in ea, de quibus modo dixi  
litterarum studia conferebat. His itaq; puer  
delectatus est, in his adolescens, & florentibus  
annis, summo ingenio, ac diligētia uersatus, in  
his deniq; cōsenuit. Quæ cū notissima sint non  
Pōtifici solū, & cunctis Cardinalibus, quos mē-  
daciū testes citare nefas sit, uerum etiam omni  
prope dixerim orbi terrarū, miror cuius pudor-  
is, aut prudentiæ fuerit in uirū, cuius faciūdia,  
summaq; eruditio, cūctis hominibus erat pspe-  
cta, istam struere calumniā, quæ nisi in hominē  
infantissimū, & omnis doctrinæ rudē, probari  
cuiq; non poterat. Quis enim dictionis adhi-  
bet expolitorem, nisi qui barbarus ipse est, &



a politiore litteratura alienus? Quis suggestores, cōmonstratoresq; scripturarum, argumētorum, dogmatumq; theologorum, nisi qui sacras litteras, uel nunq̄, uel per quā leuiter attigerit, ac theologiam prorsus ignorat? in quibus studiis Albertum Piū a puero suam, quæ iam ingraue scebat ætatem consumpsisse, ignorare nemo potest. Quam igitur ansam, quam demum occasionem calumniatores nacti sunt, uā in sine mēdaciū, quod deferrent ad Erasmum cōminiscendi? Accidit enim fere per malitiam delatoribus, mente, animoq; ægrotis hominibus, quod per errorem febrientibus usu uenire, Aristoteles testatur, ut enim hi per exigua quadam linearū in pariete descriptarū similitudine decepti, animalia quædam uidere uidentur, & affirmāt, sic calūniosi homines quidquid uident, quod pati possit quoquomodo sinistri cuiuspiam uel leuissimam suspensionē, maligna interpretatione ad calumniam rapiunt, & quod temere, leuiterq; suspicantur, ac ne suspicantur quidem, sed propter suspicandi tenuissimam ansam cōfingunt, pro uero affirmant, & ad alios flagitiosissime deferunt. Mihi ergo quoquo uersus spectanti, & omnes huius impudentissimi mēdaciū ansas animo perlustranti, hæc una potuit in mentem uenire, quæ calumniæ qualemcunq; locum facere potuisse uideretur. Albertus Pius

ut



(ut supra dixi) tam sæue, tam pertinaciter articulari morbo, in quem annum agens circiter quadragesimum inciderat uexabatur, ut sæpe totos tres, quattuorq; menses in lecto iaceret, tam prostratus, ut neq; pes, neq; manus officio suo fungi possent. In ea igitur calamitate, si quãdo a morbi sæuicia dierum aliquot inducias impetrasset, una illi requies erat, qua ægrũ animum solaretur, audire aliquem legentem, aut cum aliquo uiro docto disputare, uel cum solus esset, cõmentari aliquid in studio litterarũ. Sed cum nec ipse scribere posset, nec libros euoluere opus illi erat librario, opus lectore, ac si cuius auctoris sententiam dictumue, aut etiam uerbũ recognoscere oportebat, & illi locus (ut nemini non identidem usu uenire solet) excidisset, cum inuestigare per se non posset, ut per alterum faceret necesse erat. quibus in rebus cum aliorum uteretur opera, non industria, manibus, & lingua, non ingenio, labore, non doctrina, uideo tamen non defuisse peruersos homines, sed studiosos, qui hoc animaduerso, dum Albertus Pius ægrotans in te scriberet, uana, & maligna interpretatione, dum tali mendacio tibi nõ ingrato futuro, aliquam tuam gratiam promeriri posse sperarent, amanuensium ministerium in calumniam detorquerent, ad nomen Alberti Pii, & quã te maxime grauaturam esse cõstabat

D



auctoritatem, summæq; eruditionis opinionem  
imminuendâ. Si quos ægotâs Albertus Pius  
oculorum, manuūq; uicarios, ad opus lucubrã  
dum habuisset, horum ingenio atq; doctrina  
opus confectum esse, aliquibus posset confecto  
mendacio persuaderi. Cæterū nihil aliud (crede  
de mihi) tali consilio profecerūt, quã ut te falsis  
delationibus nimis credulum esse, magno argu  
mento declararent. Tu tamen plurimos nouis  
se affirmas, quibus copis usus sit Albertus Pius  
us, aliquot te posse, si res postulet nominare.  
An tibi, cum uirum grauissimum summæ leui  
tatis reum faceres, & quem omnes sciunt do  
ctissimū fuisse, & elegantē, ipse rudem litterarū  
& infantissimum contenderes, non uidebatur  
res poscere, ut testes uel quamplurimos produ  
ceres, consciosq; proderes omnes, ne non aperte  
calumniari, sed uerū crimen obiicere credereris.  
Sed quis tã rudis est, ut non agnoscat artificiū?  
cum neminē uere posses, aliquot te nominare  
posse, si res poscat scripsisti, me unum nomina  
sti. si res poscebat, cur cæteros tacuisti? si non  
poscebat, cur me nominaisti? Subiicis enim, se  
puluēdū nemo nō nouit, uirū eruditum, & bene  
latinum. quod cū legissem, tibi equidē Erasme  
magnā habui gratiã, q̄ uir tãtus me aliquid di  
dicisse testatus sis, & latine nō ignorare, sed mul  
to maiorē habiturus, si testimoniū istud minus



alieno loco mihi cōtigisset, nec me i eius inuidiā  
laudasses, cui ego quāquam in eisdem, atq; ille  
studiis multos annos non negligenter fuerim  
uersatus, semper tamen longe maiore eruditio-  
nem, & latinæ linguæ peritiā concessi. uel me  
igitur tacere debebas cum reliquis, uel omnes  
mecum nominare. Nam cur me potissimum  
nominandum putasti? An quia de me magis cō-  
stare, & me quam cæteros notiozem esse credi-  
disti? negas enim me a quoquā ignorari. Non  
equidem inficior, nomen meū ob aliquos meos  
labores in studio litterarum, non quidem tam  
multis, quā tu ais, sed certe non admodum pau-  
cis innotuisse. Cæterū quo me plures nouerunt,  
hoc plurium testimonio, uanitas istius crimina-  
tionis haud dubie cōuincitur. nemo enim me  
nouit, qui nesciat toto eo tempore, quo Lutetiæ  
in te scribebat Albertus, me Romæ, aut certe in  
Italia fuisse. quod te magnopere miror non ani-  
maduertisse, cum talia prodere inducebas ani-  
mum, nam non ignorasse certum habeo. Memi-  
ni enim ~~enim~~ Placentiæ, cū eo peruenisset Fran-  
ciscus Quignonius sanctæ crucis Cardinalis,  
quem litterarū, ac omnis uirtutis fautorē egre-  
gium, Stunica, & ego sequebamur, in legatione  
illa, qua cum duobus collegis ex more, a Cle-  
mente Pontifice Maximo obuiam Carolo cæs-  
sari mittebatur, litteras quasdam tuas uidisse,

D ii



quibus uiro erudito, tuiq; studio siffimo Alfonso Valdesio Cæsaris a secretis, ad eã epistolam respondebas, in qua ipse ad te paulo ante scripserat in mentione doctorum hominum, Stunicam, & Genesium se Placentiæ conuenisse. quibus litteris iam tunc uanũ istum rumorem spargere incipiebas, nam tale quiddam in eis me legere cõmemini, Albertum Pium nescio quid in Erasmus parare, domiq; habere conducticiũ hominem, qui pro se scriberet. de quo cum me Valdesius percunctaretur, ego nihil doli suspicatus, necesse est inq; , ut qui scribere ipse morbo implicitus non potest, librarium habeat, qui dictata excipiebat, ac pro se scribat, quo ut Principes fere solent, semper usus est Albertus Pius, etiam in ualetudine firmiore. Sed tu uidelicet hominẽ intelligebas, cuius doctrina, & ingenio conficeretur opus, aut certe qui dictionẽ ipsius expoliret. Cum hoc igitur tempore, me Placentiæ fuisse scires, & ante, ac post perseuerasse Romæ, credibile sit te non ignorasse, quid tibi uenit in mentem, ut mea opera usum esse Albertum Pium, in opere illo conficiendo, aut expoliẽda dictione asseuerares? Neq; enim hoc ad epistolarem librum, quem ille Romæ ante urbis direptionem elucubrauerat, de quo mox dicam, referre potes, qui sic scribis in calce libelli. Recte facit, q; agit gratias Deo, cuius ope tam



mirificum opus absoluerit, sed ingrāte facit, qui non agat gratias Hispano dictionis expolitori, operis collectioni præfectis &c. Quo in loco, de opere Lutetiæ confecto te locutum esse certum est, in eo enim extremo, quas dicis gratias Albertus egit Deo. Nec dubitari potest, quin Hispani nomine eundem Sepuluedum, de quo uno nominatim memineras, designaueris. Constat enim Albertum Pium, multos ānos anteq̃ decederet, Hispanum, qui litteras didicisset, domi suæ habuisse neminem, præter Genesium Sepuluedā, quem ad te suspicor, appellatione uaria delatum esse, quin etiam corrupto uocabulo, nam pro sepuluedo, sepuluelū habet tuus libellus. nisi forte culpa librarii una littera mutata fuit. Ex quo factum est fortasse, ut eundem per obliuionem duos esse homines credideris. Ita cum non ignorares Genesiū Romæ agere, Sepuluedam putasti eodem tempore Lutetiæ cum Alberto Pio in te scribente fuisse, qui cum neq̃ ineruditus, neq̃ latinæ linguæ ignarus (ut ipse scribis) haberetur, eundemq̃ constaret in Alberti Pii domesticis fuisse, maxime idoneus uisus est istis Sycophantis, qui ex confictis operis unus potissimum nominaretur. quorum ipse calumniis inconsulte creditis, scripsisti, agendas esse gratias Hispano, qui libri Lutetiæ lucubra ti dictionem expoliuisset. cum neq̃ ego, quē eo

D iiii



loco designas, nec quisq; alter Hispanus, nō ex-  
pers litterarum, eo tempore cū Alberto fuerit.  
cuius rei testes appello, quotquot Lutetiæ Al-  
bertum Pium, eiusq; domesticos cognouerunt,  
omnibus enim notissimum est, Alberto Pio Lu-  
tetiæ commentanti neminem prorsus affuisse,  
cuius opera iuuaretur, præter unum Amanuen-  
sem Italum adolescentulum, qui unus multoꝝ  
ministerioungebatur, idem namq; in Alberti  
morbo propemodum continenti libros euolue-  
bat, idem loca suo labore, Alberti ingenio, me-  
moria, uel reminiscencia inuestigata legebat,  
idem excipiebat dictata. quod mihi ex aliis etiã  
exploratum, ipsemet adolescentulus his paucis  
diebus exposuit Romæ, dum suos ingentes la-  
bores in quorūdam inuidiam commemoraret.  
Quid igitur de cæteris, quos nullos potuisti  
nominare, credi par est, cum me, quē unum isti  
putauerunt non improbabiler posse ad suæ  
calumniæ fidem faciendam nominari, constet  
ne potuisse quidem, etiam si maxime illi opus  
fuisset, & uterq; cuperemus, quam isti confin-  
gunt, operam nauare. cum ille Lutetiæ, ego Ro-  
mæ commoraer, nec mihi (quod maxime do-  
leo) post urbis direptionem ipsum uidere conti-  
gerit. ut illud interim taceam, quã diuersus sit  
meorum scriptorum stilus a librorum Alberti  
character e.



Nam illud ne fingi quidem potest, librum de quo agitur, Romæ iam lucubratū, post editum fuisse Lutetiæ. cum tuus apologeticus, ad quem refellendum ille rescripsit, editus a te fuerit, postquam Albertus Lutetiã peruenit, ubi librū epistolarem Romæ factum honestissimorum quorūdam theologorū impulsu, euulgaripassus est. De quo si quæris, an eum uiderim, dum ab ipso scribebatur, dicam equidem calumniam nihil ueritus, ut res est, aliqua uidi dum esset in ipsius manibus, confectum perlegi totum, sed ita perlegi, ut non indocti homines doctissimorum uirorum, quos amant, & colunt, scripta solent, ut fructum aliquem uel doctrinæ, uel iocū ditatis legendo caperem, non ut in uiri eloquentis, summaq; eruditione libro, homo cūctis in rebus inferior, quidquam uel sensus, uel dictionis emendarem. quanq; ille, cum librum daret, mihi non interdixerat, quominus se, si quid in eo parum probassem admonerem, ille uero me ad hoc p sua humanitate adhortatus erat, idē ipse pollicitus se facturū, in meo libello de fato, & libero arbitrio, quē aduersus Lutheri furiosum de seruo arbitrio librū, eodē tēpore a me scriptū, quo Albertus ad tuā epistolam respondebat, ut ipse uicissim legeret, quē admodū mea solebat, facile ipetraui, & quidqd displicuisset, annotaret orauī, quod nec imprudenter, nec



præter doctissimorū hominū morem, ab utroq;  
factum esse crediderim. neq; si uel maxime con-  
staret, illum mea, aut me illius admonitione, iu-  
dicioue ductum, aliquo loco, aut etiā locis pau-  
cis uerba quædam, uel fortassis etiā sensa adie-  
cisse, detraxisse, uel commutasse, protinus uere-  
rer, ne apud doctos, prudentesq; uiros, quidquā  
alterutrius famæ, ac eruditiois opinioni decede-  
ret. Hoc enim ueteres factitasse certū est, quorū  
nunc ingenia, & scripta demiramur. nisi forte  
puduit Plinium secundum, uirum eloquentissi-  
mum, eā in primis epistolā euulgare, qua rogat  
uirum doctissimum Arrium, ut librum, quem  
edere cogitabat, & illi miserat accurate lectum  
& relectum emendaret. qui ad scaurum quoq;  
scribens, sic ait, recitaturus oratiūculam, quam  
publicare cogito, aduocaui aliquos, ut uererer  
paucos, ut uerum audirem. Nam mihi duplex  
ratio recitandi, una, ut sollicitudine incendar,  
altera, ut admonear, siquid forte me ut meum  
fallit. tuli quod petebam, inueni qui mihi copiā  
consilii sui faceret. Neq; uero solum Plinius  
uir sapientissimus, id officium ab aliis sui simili-  
bus poscebat, sed alios ab ipso idem postulasse,  
cum aliæ eiusdem epistolæ declarant, tū ea in-  
primis, qua Maximo uiro doctissimo, quid de  
libris suis sentiret, exponit. ac ne singulos me-  
morem, Brutum uirū doctissimum, & eloquens-  
tis



tissimum orationes suas, etiã in senatu cū omni  
um admiratione habitas, ad Ciceronem, qui  
eius ingenio hoc eruditionis, & facundiæ tribue  
bat, quod paucissimis suorum æqualium, an  
tequam ederentur, huius rei gratia mittere soli  
tum, eiusdem Ciceronis epistolæ testantur. huc  
enim pertinet illud Horatianum præceptum,  
si quid tamen olim, scripseris in metii descens  
dat iudicis aures. quorum cautam diligentiam  
si tu Erasme fuisses imitatus, nec indulgere mal  
les ingenio tuo, quam imperare, magnam tibi  
laudem peperisti, sed multo maiorem fuisses  
consecutus, non modo eruditionis, sed etiam  
eloquentiæ.

Perlegi ergo epistolarem librū Romæ, fateor, & *illū*  
fortasse aliquid admonui, quod mihi minus ar  
rideret, ut ipse fecit in meo libello. Statim ne igitur  
librum aliena opera, nō suo Marte (ut aiūt)  
confecisse argui debet Albertus Pius? Nam a  
quopiam alio præter librarium, ne lectum quis  
dem fuisse librum, antequā perficeretur, si mihi  
affirmanti non credis homini non uano, & testi  
oculato, quem latere nihil poterat, crede iurato,  
nam testē appello Deum immortalē, me non  
mentiri. Sed redeo ad librū Lutetiæ inceptum,  
& peractum, qui te plus offendit, & quem ipse  
acrius accusas. Quid habes argumenti, quan  
do testem nullum habes, illum fuisse multorum

E



opera confectum? Ex uarietate inquis caracte-  
ris apparet. Vbi est acumen tuū Erasme? An  
non uides te dictionis uarietatem allegando, ti-  
bi nō cōstare, criminatiōisq; uanitatē prodere?  
Quomodo enim uera esse possunt, quæ pug-  
nant? Nam qui conuenit Albertum pium di-  
ctionis expolitorē habuisse, & characterem esse  
diuersum? Nisi forte id m̄nus affingatur per  
summam stultitiam compluribus fuisse per par-  
tes iniunctum, ut dolus omnino latere nequi-  
ret. Sed si unus erat expolitor, ut etiā sycophan-  
tæ detulerunt ad te, qui unum Hispanum ex-  
politorem, memoras, expolitor iste tā præcla-  
rus, quomodo unus potuit, nisi forte ex indu-  
stria, diuersis characteribus dictionem expoli-  
re? An cōmortuū illum uideri uis Alberto Pio?  
ut si quid superesset expoliendum, perficere nō  
potuerit? Non est igitur opus extrinsecus alla-  
tis argumentis, ad criminationis malitiam con-  
uincendam, ipsa per se, suaq; inconstantia ruit.  
Quod si urgeas, rogesq;, quomodo tam diuersus  
stilus potest esse unius Alberti Pii? ego te ui-  
cissim, & uerius percunctabor, quomodo pos-  
test diuersorum esse character, qui tam sui simi-  
lis est? Nam q; pauca quædam uerbula quibus-  
dam in locis annotaueris, quæ magis theologi-  
cam simplicitatem præferant, quam cultum Ci-  
ceronianum, candidius erat, id festinationi



mortis interuentu non recognita tribuere quā  
ex leuissima coniectura, cum cætera simillima  
sint, operarum diuersitatem uelut argumento  
certissimo colligere, in uulgusq; prodere. Alber  
tus enim Pius quanq; elegans esset, & latinæ lin  
guæ doctissimus, cui studio, ætate ingrauescens  
te multo etiam magis, quam in adolescentia se  
dediderat, ita se tamen a puero comparauerat,  
ut semper rerum maiorem haberet curā, quam  
uerborum. quo fiebat, ut sæpe cum quæstionem  
aliquam physicā, aut theologiam disputaret,  
mallet idē ad nodum quēpiam explicandum,  
minus latina, sed nota uerba, a Thoma, uel Sco  
to, Alexandroue interdum mutuari, ut clarius,  
significantiusq; loqueretur, quā Ciceronianis  
uti, si orationis insolentia philosophis, aut theo  
logis, ad quos uerba faceret, obscuritatem pari  
tura uideretur. quod in aliquo eius libri loco,  
quem mortis iniuria, polire non potuit, ipse  
si defensu magis, quam de oratione sollicito usu  
uenisse, non debuit esse tam criminofum, ut ob  
id quasi de possessione totius libri deiiceretur.

**¶** Quod porro quasi p̄brosū iactas, Alber  
tum Piū scripta tua nō legisse, se dād decerpēda  
loca, quæ carperet, monachorum quorundam,  
aliorumq; laboribus usum fuisse, id quidem for  
tasse non male coniectas. sic enim existimo, dū  
ex meo instituto metior illius animum, ipsum



antequam necessitate duceretur, non nihil de scriptis tuis animi causa legisse, nihil enim est eis argutius, nihil festiuius, sed horas seueriores sacris litteris, Hieronymoq; & Augustino, & his similibus, interdum etiam Aristoteli, uel Ciceroni libentius impendisse. Non quod non sint multa in tuis libris, quæ horis etiam matutinis legi possint, & legentium operæ pretium absolucere. Sed quod eorum auctorum, qui Erasmus quantum est effecerunt, quam Erasmi monumentis lectitandis haberiorem fructum capere se posse, non stulte (ut opinor) existimaret. Postea uero quam, ne scio quo fato, in eam necessitatem adactus est, ut consulere famæ suæ non posset, nisi quæ audita de tuis scriptis damnabat, scribendo refelleret, haud equidem credo, ipsum tam hebetem fuisse, ut non intelligeret, nisi perlectis tuis libris non posse sparsas in eis sententias cognosci, nec incognitas refutari, putasse tamen parui interesse, ipse ne per summum laborem inuestigasset, an ab aliis accepisset, qui in hoc diligentissime libros tuos sponte sua perlustrassent. Sed locis indicatis, dum singula examinaret, certum habeo, omnia, quæ ad cuiusque intellectum facere possent, perlegisse uirum prudentissimum, nec ignarum, non aliter posse de ipsis, sine summa cæcitate iudicari. quod mihi non solum certa coniectura, ab altissima uiri prudentia ducta



persuasit, sed illius etiam adolescentuli, quo lectore utebatur, testimonium indubitatum, cui maiorem hac in causa fidem habendam censeo, quam tibi, qui dum acrioris censuræ dolorem æquo animo ferre non posses, ipsum credidisse modo aliorum relationi, iis uerbis cauillaris, quæ me referre suppudet. Nam non erat inquis uiri prudentis, cacatis schedis fratrum, ac famulorum tam uirulenter in proximum debacchari. Quod tibi uerbum excidit Erasme. Quo ue theologici decori respectus abierat; ut uir grauis, religionis, morumq; magister in eo libro, quo de religione agitur, de Christo ipso, deq; Triade differitur, sustineres tuam orationem iis uerbis fædare, quæ uix Epigrammatariorum licentiæ permittuntur, nec unq; a Comædiarum liberrimis auctoribus usurpatur, nisi forte cum personæ cuiusdam illiberali seruiunt, mancipii, aut mancipii simillimæ. Quanto melius consulisses nomini tuo, si conuiciis, tam fædisq; uocibus uitatis, modeste, ac cum maximo pudore respndisses. ne dares ansam liberis hominibus cauillandi, te dum causa laboras (ut miseri quidam solent) ad maledicta cōfugere. Quid enim conuicia iuuant, si obiectis non satisfacias? Quid prodest comminisci præter omnem fidem, nedum ueritatem, librum non Alberti Pii doctrina, sed aliorum ingenio, & labore cōfectum

A iii



fuisse, Si quæ magnis ille argumentis in te colligat, refelli nisi debilissime non possunt? Quo tamen in loco (ut dicam quod sentio) non equidem miror, tibi tam uelociter commentanti aliqua non satis fuisse animaduersa. Maius est enim humano captu, ut quisquam uelocissimo, nec repetito cursu delatus, obuia quæque perinde notet, perspiciatque, ac si quis læto gradu procedat, & regrediatur, eadem sæpe obiens, oculisque retractans. Cum igitur ipse libros tanta celeritate conficias, ut uni dare solidum mensem longum tibi uideatur, tantumque absit, ut uelis eos ante editionem, amicorum iudicio more ueterum perpendi, ut sæpe ne ipse quidem satis repetita lectione recognoscas, nihil mirum est, nec tu debes indignari, aliqua in tuis scriptis, doctissimorum uirorum lento iudicio examinata refelli, que ipse si nondum emissa, interiecto tempore, uelut aliena re legisses, aut ab amicis fuisses admonitus, haud dubie mutasses in melius, aut expunxisses omnino. cum sit illud multo mirabilius, te tanta festinatione, tam multa, quæ iure laudentur perdidisse. Nam nec illud patitur natura rerum, ut magne res, ac per diu duraturæ celeriter adolescant. ut in stirpium genere diuturniores, ac firmiores, longissimo tempore perficiuntur. & animalium uiuacissima, eademque perfectissima homo & elephantus, tardissime omnium ad iustam magnitudinem per-



ueniunt, cætera uero, quo festinatioꝝ est cuiusq; maturitas, hoc celerius abolentur. Cuius rei non ignari uiri prudētissimi, in perficiēdis, eden disque libris magistram naturam adhibere censuerunt, ut quos diu uelimus approbatione hominum durare, his tempus addamus, & sæpius recognoscendi diligentiam. dum probe scirent, non quam multos quisque libros faciat, ad laudem interesse, sed quam bonos, non quam cito scribat, sed quam docte, & eleganter. Plurima scripsit Marsus poeta, Persius quam paucissima, sed notum est carmen doctissimi poetæ de utroq; . Iam illud quis nescit? Lucilium itidem poetam tanta celeritate uersus facere solitum fuisse, ut stans pede in uno (quæadmodū Horatius ait) ducētos dictaret. Vergiliū contra, quæ paucissimos uersus die cōposuisse scripsit Varus, tam tarde perficere, ut tanquā ursa catulos suos lābendo, sic ipse sua carmina sæpe retractādo formasse memoretur. At hic sua diligētiā principatū inter Latinos poetas sine cōtrouersia cōsecutus est, ille sua facilitate, quā uidelicet cū retractare pigebat, hoc tulit nominis, ut Iutulē uscum flueret, esse diceret. Sed ne poetarū solū ex ēplis agamus, nōne Sallustiū, cuius prima laus est in historia latina, ueterū monumēta testātur, nihil scripsisse, quod nō diu, ac diligētissime retractauerit? Platonem quoq; illum doctrina, &



eloquentia diuinum, quem Cicero cum multis facile principem philosophorū appellabat, constat scripta sua tam accurate recognouisse, ut ipsa pectinare diceretur. Eadē nanq; rescribebat sæpe, addendoq; & subtrahēdo mutabat. Itaq; post obitum eius, exordiū librorum, quos scripsit de rep. repertum esse iterū, atq; ter ab eodem scriptum, Laertius Diogenes est auctor. Quando igitur periculum est, ne rei bene gerendæ per moram elabatur occasio, festinatio in cunctis actionibus laudatur, cum uero res & postulat, & patitur lenta cōsilia, & diuturnam considerationem, sine causa properare, quis nō uidet, neq; g. auitatis esse, neq; prudentiæ. Nec enim si exercitatissimos quosdam oratores, ut ex tempore dicerent causarum necessitas cogit, protinus id philosophū, aut theologū deesse putandū est, ut in libroꝝ confectiōe, quos ad uitā hominū instituēdā, de moribus, ac religione scribunt, qbus summa grauitas, summumq; iudicium adhiberi debet, celerrimi stili laudem affectasse uideantur. Sed ista præcepta, dicet aliquis, rudibus fortasse, ac tardioribus data sunt, Erasmus homo doctissimus, ac disertissimus, eam facilitatem exercitatione consecutus est, ut multi per summum laborem, quod ipse quasi ludens facit, æquare non ualeant, fateor quamplurimos lōgo tēpore, magna diligentia,

mi



minus efficere<sup>per se</sup>, quam paucis diebus Erasmus,  
at si quis neq; doctrina, neq; ingenio, nec deniq;  
exercitatione cedens Erasmo, diligentiam ad-  
hibeat, negabimus ne hūc meliora, quam Eras-  
mum præstiturum? Ad summam si Erasmus  
ipse imperet ingenio suo, ut accuratius scribat,  
& scripta sua diligenter recognoscat, non ne ip-  
semet maiora, doctiora, elegantiora, & quæ mi-  
nus incurrant doctorum reprehensionem effi-  
ciet? Age uero, si ipse, quæ iam in uulgus festi-  
nanter edidit, hæcenus integra sibi reseruasset,  
& nunc iterum, ac sæpius relegeret, ac ut dilige-  
tiores, lentioresq; facere solent, accurate retracta-  
ret, nihil ne illum nunc damnaturum putamus,  
quod initio placuisset? nihil quod tunc eum la-  
tuisset, inuenturum? Hæc igitur cum ita sint,  
miror Erasme, qui sit iste tam impatiens ani-  
mus tuus, ut cum eius æquitate ferre nō possis,  
multorum eruditissimorum accuratā diligen-  
tiam, quibusdam in locis oculatiorem esse, tua  
unius in perpendendis, ac recognoscendis, quæ  
incredibili uelocitate scribis negligētia. At erat  
prudentiæ, modestiæq; tuæ, quando longioris  
examinis, recognitionisq; tedium ferre non po-  
tes, saltem aliorum admonitiones patienter fer-  
re, & si quid probi, ac eruditi uiri, in tuis libris  
minus se probare profiterentur, in bonam par-  
tem accipere, non odio uertere, aut calumniæ,

F



tum si qua recte in te notata esset (ut aliqua esse  
necesse est) in his non pertinaciter repugnare, si  
qua secus, ea moderate & sine stomacho refelle  
re. Nam hoc in primis Christianum decet, hoc  
uirum grauem, hoc philosophum. Nunquam enim  
philosophia tanto in honore habita fuisset in grae  
cia, nisi doctissimorum contentionibus dissensio  
nibusque uiguisset, ut grauissimus auctor Cicero  
testatur. itaque de philosophia scribens tantum  
inquit abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id  
etiam maxime optemus. cuius summi uiri insti  
tutum, si tibi (ut par erat) imitari placuisset, ma  
gnis te tuosque concertatores molestiis, & sollicitu  
dinibus liberasses, dum aequo animo te redargui pa  
tereris, & caeteros sine pertinacia, sine iracundia,  
sine contumelia refelleres. Nunc enim quisquis  
in te scribit, statim inuidus est, indoctus est, nu  
gator est, ac si paulo acrius urgeat, ut Albertus  
Pius, mendax etiam, & impudens calumniator.  
Quod si talem uideri uis, quicumque dicit quod  
in libris Erasmi, ipse quoque Erasmus in primis  
inuidus erit sui, atque calumniator. Nemo enim  
plura damnauit in Erasmo, quam Erasmus, qui  
nullum propemodum scripsit librum, quem non  
semel emissum, iterum & tertio emendatum edi  
derit, quosdam etiam saepius, ut librum adagio  
rum, ac conuersionem noui testamenti, & adno  
tationes in idem, quas a te iam quarto editas



esse, mihi primus Stunica retulit. In quo nuper  
iacturam non mediocrem fecerunt litteræ, uir-  
tutesq; omnes, mortuus est enim Neapoli, quã  
urbem ut inuiseret, paulo ante profectus erat  
Roma, dehortantibus amicis, ne alieno, & peri-  
culoso tempore cælum mutaret, moriensq; nos  
bis, id est amicis, magnum sui desiderium reli-  
quit, homo, ut reliquam eius insignem græce, la-  
tineq; doctrinam taceam, sacrarum, ecclesiasti-  
carumq; historiarum, quæ studia potissimum  
æmulatus fuerat peritissimus, ingenii candidi,  
& supra quam credi potest, urbani, & quod his  
multo maius erat, innocentissimæ uitæ, summæ  
non morum tantum, sed etiam uerborum ho-  
nestatis, ueri (si quis unquam) amantissimus, &  
perquã egregius pietatis cultor, qui quo ani-  
mo scripsisset in te, moriens non obscure decla-  
rauit, nam cū non pauca collegisset, quæ ne in  
quarta quidē editione tua noui testamēti pro-  
barct, mādauit hæredibus, ne cōmētariū, quod  
nondum postrema manu recognouerat, euulga-  
rent, sed ad te mitterent, ut illis suis laboribus  
admonitus posses, si uelles, libros tuos emenda-  
re, nihil tale haud dubie mādaturus, si ambitio-  
ne ductus, non studio ueritatis, eam prouinciã  
suscepisset. Cur enim, si sibi cōscijs erat, parum,  
aut nihil in chartis illis contineri, præter ambi-  
tiosas calumnias, quas tu libenter in te scriben-



tibus obiicere soles, opus nondum editioni ma-  
turum dare flammis non potius mandasset.  
Sed ad rem. Cum ipse scripta tua toties emen-  
dando, testeris aliqua in eis esse, quæ limam, &  
censuram patiãtur, nõ debebas tam obstinate  
negare aliis, quod ipse tibi passim permittis,  
nec tã pugnaciter semel dicta tueri in aliorum  
admonitiones, ut te nihil unquam errasse con-  
cedas. At erat fortasse non solum theologo, ac  
omnino Christiano homine dignius, sed etiam  
ad humanioris ingenii, maiorisq; doctrinæ fidẽ  
faciendam accommodatius, ut cum a multis,  
multa peccasse arguaris, culpã aliquam agno-  
sceres, ut manifestissima quæq; confitendo, cæ-  
tera de quibus magis ambigitur, te non super-  
ba pertinacia, sed recto iudicio tueri, quamplu-  
rimis probares.

¶ Sed quoniam satis ad calumnias, quas isti  
sycophantæ in tuam gratiam impudentissime  
commenti sunt, respondimus, & dolos, quibus  
Alberti dignitati, famæq; insidiabantur detegi-  
mus, simulq; conuicia, quibus eius manes inse-  
ctaris, ~~etiam~~ præter omne meritum iacta-  
ta esse docuimus, superest, ut obiecta in te ab  
Alberto Pio cum tuis refutationibus aliqua ex  
parte cõferamus. Nam singula persequi, nimis  
esset longum, & putidum fortassis, cantilenam  
(ut ipse ais) toties cãtatam recinere, eoq; magis



quod iam non id agitur, ut quæ tu asseris, falsa esse, uel etiam hæretica conuincantur, sic enim ad obiecta respōdes, ut ubiq; te id sensisse profitearis, quod neq; religioni Christianæ sit contrarium, neq; sanctorum patrum, aut conciliorum decretis aduersetur. in quo iam illud est, qd Alberto Pio, & cæteris, qui in te scripserunt, gratiam habeant catholici Christiani, qd quãquam te non adegerint, ut te perperam scripsisse confitereris aperte, tamen illud perfecerunt, ut anticipia, suspectaq; tuorum librorum loca, & quæ poterant ab hæreticis Lutheranis in suam sententiam, hæc sane improbabiliter detorqueri, sic interpretationibus temperaueris, ut si quid sit, quod temere, aut minus catholice dictum fuisse uideri possit, pœnitentiam præ te feras, & errorem tuum si non aperte, utcūq; tamen testificeris. ut ipsa (qualiscunq; est) tua confessione, ueniam ab æquis, nec nimis seueris iudicibus merearis. Non igitur iam de tua mente discritur, quam te optimã semper habuisse, uel si scripta tua maxime reclamarent, tibi tamẽ credendum esset, ubiq; id asseueranti, sed de constantia doctorum tuorum, & acumine, non nihil etiam de prudentia tua disputatur. de quo tamen Albertus Pius, qua erat grauitate, & sapientia, (crede mihi) nunquam fuisset sollicitus, nisi eam tuam culpam putasset (qualiscunq; est) posse ad mul-



eorum nocumentum redundare, qui dū libros tuos simplici animo legunt, te cui omnia tribuunt, longe aliter multa sentire putant, quam ipse factus reus (dum pro te dicis) ingeniose interpretaris. quos etiam atq; etiam admonendos putauit uir publicæ pietatis studiosissimus, quo cautiores essent, nec libros tuos oscitāter lectitarent. Cæterum quia tu factum institutūq; illius lōge aliter interpretaris, quasi studiose uexauerit scripta tua, nec habuerit satis magnā causam, ad ea loca, quæ commemorat ex tuis libris, uelut lubrica, & suspecta denotandum, res ipsa postulare uidetur, ut rationibus utriusq; uestrum collatis, aliquot eorum discutiamus. nec enim erit difficile, ex parua uelut indicatura, rē totam citra magnum errorē æstimare.

Primum omnium cum obiicitur tibi moria, in qua non solum cætera omnia omnium hominum studia, etiam honestissima derides, uerum & sacerdotum, monachorumq; institutis, uiuendiq; rationi, ad summam, ipsi religioni Christianæ uideris illudere, caput tuæ responsionis est, scriptionē fuisse iocularē, non seriam, seruitūq; fuisse personæ moriæ, a qua nihil sani postulari debet, nihil nō stultū & ineptū expectari. Quod est maxime contra te, affers in tuā excusationē.

An potest esse quidquā magis criminofum, quā (ut cætera omittam) rebus iocularibus religio-



nem Christianam, eiusque ministros, & cum diuis, deiparaque uirgine christum ipsum admisce-  
re. Nam qui dum de uanis hominum studiis, stultisque opinionibus agitur, mentionem facit de indulgentiis, anathemate, ceremoniis, de diuorum ac beatæ uirginis cultu, de Christi uita, ad summam de omni parte religionis christianæ, quid hic aliud uideri potest, quam hæc omnia eodem loco habere, quo cætera, quæ sunt in cõfesso uana & deridenda: præsertim post illa uerba, Usque adeo christianorum uita istiusmodi delirationibus undique scatet, quas ipsi tamen sacrifici non grauatim admittunt, & alunt non ignari, quantum hinc lucelli soleat accrescere. quæ uerba cum latissime in moria pateant, tu tamen in responsione laborans, ad supersticiosum cultum diuorum, & mágicas preculas, aliasque id genus nani-  
as contrahere conaris. An tibi uideris obiectis satisfacere, si quæ in uniuersum dicta sunt, ad paucos, paucaque referri debere, sine ulla ratione contendas? Omnem undique christianorum uitam dicis, & uis a Pio paucos religionis causa peregrinantes, & deliras quasdam anus intelligi? Ges-  
sisset tibi forsitan morem, nisi illud ex eodem ore prodiisset, uidetur omnis christiana religio, quamdam habere cum stultia cognationem. qua uoce quid hostilius religioni nostræ ab ipso theomastige Luciano, uel Auerroi, quæ ipse merito



blasphemum appellas, expectari posset? Ad quod nihil respondes Alberto Pio, nec pfecto qd respondere ualeas intelligo, nisi forte ad illam inanem & perq̄ frigidam excusationem confugas, non esse dandum crimini stultitiæ, si stultissime gurruletur. quæ excusatio poterit haud dubie culpam stultitiæ nonnihil, atq; adeo plurimum subleuare, at qui tam effrenatam bestiam talibus uerbis subornatam, nō contentus profanis omnibus locis, etiam honestissimis, in templa itidem, & sacraria produxerit, ut in sacerdotes, ac monachos, sacrorumq; ritum procaciter debacchetur, ac ipsam religionem christianam sibi cognatam, hoc est stulticia, & erroribus plenam esse iactet, hunc quis ualeat uel a crimine uel ab imprudentia saltem uendicare? A cuius rei conscientia ipse uidelicet non abhorrens, inextricabilibusq; difficultatibus implicitus, cogaris homo sapiens, & grauis, deliranti stultitiæ præter omne decorum patrocinari, ut tibi non liceat constanter in sententia permanere, qui præfatus stultitiam stultissime locutam, rursus eandem, quæ omnium stultissime dixit, ea sapienter dixisse probare niteris, ut fieri posse doceas, quod naturam non pati, ueteres crediderunt, ut cum ratione quisq; insaniat. Itaq; mirabilem latebram excogitasti, quo cōfugeres accusatus, quod Christum dixeris, delectatum fuisse pueris

ris



ris, & morionibus. Nā te de stultis huius mundi locutum esse uideri uis, non de stultis apud Deum. Ingeniosum inuentum, sed nihil ad rem. Nam quos Paulus stultos huius mundi uocat, nemo unquā moriones uocauit, immo nulli magis sunt a morionibus diuersi. sunt enim stulti mundo, qui diuitias, gloriam, uoluptates, ac cætera, quæ mundus admiratur, pro nihilo habentes, uirtutem, & religionem colunt, uiri scilicet pietate in Deum, magnitudine animi, prudentiaq; præstantes, & quibus certe cū fatuis, quos moriones uocamus, nihil est cōmune, immo nihil non diuersum. Sed faciamus a uiris doctis, & sacrarum litterarum peritis, hos quoq; posse ratione aliqua nomine morionum intelligi, statim ne sine magna culpa dictum putabimus, Christum morionibus fuisse delectatum: in eo præsertim libro, qui non doctis theologis scribebatur, sed imperitæ multitudini, quæ ficus (ut aiunt) ficus, & ligonem ligonem appellare solita, tale uero stultorum discrimen ne suspicata quidem, cum moriones audit, homines intelligit, quos natura fatuos finxit, & a pecude parum rationis usu discrepantes. quibus lauti, leuesq; homines delectantur, risum captantes ex eorum stupore, & miseranda calamitate. Cum hanc igitur leuitatem Christo Deo tribuere moria uideatur, nonne ~~stultissimum~~ facit, & præter

G



omnem reuerentiam, ac pietatem, quæ filio dei optimo, & maximo, debetur? Sed dices fortasse. Iam nō moriones loquitur moria, sed pro his piscatores usurpat, agnosco clara indicia pœnitentis animi, atq; utinā sic in cæteris moria resipiscat, præsens tamē pœnitentia non tollit, sed auget potius peccati prioris argumentū. quanquā non est opus iudiciis, cum ipse peccatum agnoscas, uel in eo, q̄ fueris sacrae scripturae uerbis parum reuerēter iocatus, nisi q̄ factū excusas aliorum exemplo, a multis enim id fieri dicis. quasi uero qui latrocinantur, non possint isto modo, longe plurium exemplo culpam sui sceleris excusare. Multo igitur magis e tua dignitate fuisset, in ea responsione perstare, stultitiam stultissime res sacras, & religionem, atq; Christum attigisse (de reliquis enim nihil laboro) & in eo tuam culpam ingenue confiteri, quā ~~tenere~~ <sup>causare</sup> factum, non sine maioris pertinaciæ suspicione quapiam, frigidissime, ac debilissime tueri.

Sed iam moriam suo quodam modo, iure insanientem dimittamus, ne si graui, iustaq; Alberti Pii censura taxatam, nec resipiscentem diutius urgeamus, ipsi quoq; operam ludentes stultefacere existimemur, & monachorū causam, qui se ab Erasmo, tum ioco, tum etiam serio passim lædi, summaq; iniuria affici conqueruntur,



parump̄er differamus, pro quibus cum tibi Pius  
us obtrectat, quod uariis in locis totum ipsorum  
ordinem, ac instituta damnes, summa tuæ res-  
sponſionis est, te non monachos accusare, sed  
prauos, ac superstitiosos monachos, non ipsorum  
instituta damnare, sed uicia. quod si uere affir-  
mas, non solum iniuria negocium tibi facessit  
Pius, uerum est, quod omnes monachi tibi gra-  
tias etiam atq; etiam agant, teq; summa bene-  
uolentia prosequantur. Nulli nãq; homines tam  
seuere uel castigant, uel puniunt malos mona-  
chos, quam boni monachi, nulli sunt acriores  
omnium uiciorũ, ac flagitiorum censors. Cur  
igitur omnes, prope dixerim, monachi uno no-  
mine oderunt Erasmus? & quo quisq; sanctior  
est, ac pietatis amãtior, hoc etiam magis ad no-  
men Erasmi cõmouetur? ac uicissim nulli ipsorum  
sunt, qui minus de te male loquãtur, quam qui  
a monachatu defecerunt, aut defectionẽ (si qua  
ratione detur) moliuntur. quod cõtra fieri oport-  
tebat, si uicia, prauosq; ipsorum mores, non  
etiam ordinem, ac statũ improbares. Sed tardi  
sunt inquis, aut malitiosi monachi, & qui mon-  
achis patrocinantur, in uerbis meis interpre-  
tandis. Quibus uerbis? Miror enim quenq; in-  
geniosum esse in suam contumeliam. Monachi  
ais uiuunt in ocio, & aliena liberalitate saginan-  
tur, possidentes quod citra sudorem illis obue-



nit, nihil interim dicā de uiciosiſ. Quid eſt, quod monachi, ipſorumue patroni in iſta oratione non intelligunt, aut malitioſe interpretantur? Nam te de bonis monachis hoc in loco fuiſſe locutum, ipſe (quod negare non poteſ) confiteſſis. Non uident inquis, aut ſe uidere diſſimulāt, me non accuſare monachos, ſed ipſorum probos cum probis ciuibus comparare. immo uero quoniam iſtud maxime uident, idcirco tibi non iniuria etiam, atq; etiam irascūtur. At conſero inquis, non æquo, neq; dico nihil intereſſe, ſed non adeo multum. Iam hic quoq; gratiam debemus Pio, quod Eraſmum ad egit, ut monachatum, quem improbare paſſim putatur, uita ciuili potioreſſe confiteretur. Sed an iſthæc profeſſio cum uerbis modo recitatis cōueniat, uideamus. Omiſit inquis malitioſe Pius uerba illa cohærentia, iſti id eſt ciues, quod ſua pepererunt industria, pro ſuis quiſq; facultatibus impertiunt egentibus. quaſi uero hoc, quod ſtudentis breuitati Pius tacuit, non imprimis augeat monachorum iniuriam. At conferre alteros cū alteris, non eſt iniuriam facere monachatuī, & tu nihil aliud, quam confers. Confers, quis non uidet? ſed ita confers, ut nihil aliud agere uidearis, quan ut in monachos etiam probos, omnium laicorum, ac ciuium inuidiā, & odiū quam maxime concites. Non dixi inquis laſciuiunt



inguini, & ueneri indulgent, sed uiuunt in ocio,  
& aliena liberalitate saginantur. O pulchra excu-  
satio, & quæ facile possit optimorum mona-  
chorum contumeliosæ plagæ mederi, si constet,  
eos a te non scortatores appellari, sed fieri dun-  
taxat fucis, altilibusq; porcis simillimos. Est igitur  
uero uerius, quod ais, te ipsos conferre, non  
æquare, comparas enim, & monachorum uitã,  
statui ciuium longo interuallo postponis, post-  
ponis dico, immo uero ciues laudas in mona-  
chorum inuidiã, uelut mutux charitati, & reip.  
seruientes, & quidquid in eis uicii est, omnino  
taces, monachos uituperas, q; ocio torpeant,  
ciuiumq; benignitate, si non & ueneri, certe gus-  
læ, atq; uentri indulgentes abutantur, de mona-  
choꝝ ieiuniis, uigiliis, lucubrationibus, patien-  
tia, & irrequietis, dum sacra, réq; diuinam pera-  
gunt laboribus, ne uerbum quidẽ facis. An quia  
non arant, uel metunt, ociosi esse, & nihil agere  
tibi uidentur? quibus (ut euangelicarum contio-  
num, confessionumq; magnos, & fructuosos la-  
bores omittam) mane euigilandum est, intem-  
pesta nocte surgendum. Ad summam, qui noc-  
tes, & dies in faciendis rebus diuinis, canendis  
hymnis, fundendisq; precibus sunt occupati.  
Aut putas, officia quæ pie religioni, quam quæ  
reip. ciuilitate impenduntur, minus uel fructus  
habere, uel dignitatis? Hæc igitur cū taceas, &

G iiii



ocium monachis, saginamq; obiicis, iubes Pium  
meridie caligare, ut te non cernat, aut quãmaxi  
me suspicetur, odisse monachorum ordinem,  
ac studiose uitam ipsorum incusare? Quid, si ne  
sciret, qualia de ipsis scripseris in funere, & quã  
multa fueris commentus, ut omnibus cum ri  
su persuadeas, monachos auaros, & sordidos  
esse, procaces, petulantes, & impudentes. Aut  
ignoraret, te eosdem solitum esse histriones ap  
pellare, ad quos pharisæi collati, simplices uide  
antur, atq; synceri? Quorum tamen uerborum  
inuidiam sic putas depelli posse, si te non mo  
nachos omnes histriones, & fictæ sanctimonix  
ostentatores uocasse, obiurgati Pio respondeas,  
sed hypocritas duntaxat. in quo quis est tã he  
bes, aut tardus, ut tibi repugnet eandem rem ua  
riis nominibus, sed eiusdem intellectus appellan  
ti? Aut quis nescit hypocritam græce, hoc esse,  
quod histrionem, aut simulatorem latine? intel  
ligebat igitur, te hypocritas tantum monacho  
rum histriones, & fictæ sanctitatis simulatores  
dicere, sed illud nõ ignorabat, te passim eam opi  
nionem præ te ferre, ut omnes uel perditos, &  
dissolutos esse, uel certe simulatores, & hypocri  
tas existimare puteris. quod cū alias, tū eo loco  
aperte declaras, ubi sic scribis. Quod uigilias, q  
ieiunia, q silentia, quod preculas, q reliquas id  
genus obseruationes nõ prætereūt, nihil moror,



in spiritu tamēn non credam eos ambulare, nisi uidero fructus spiritus. Quorum uerborum inuidia pressus, ad hunc modum respondes Pio. Quid illis uerbis indico? non statim eos ambulare in spiritu, qui ieiunant, aut preculas præscriptas absoluunt, si absint fructus spiritus. Istud te dicere nemo dubitat, sed quorsum tādē? percunctabitur Pius, utrum id agis eo loco, ut nos dialecticam doceas, & quid rem quamq; sequatur, aut secus, ostendas? An quemadmodum omnes, qui ea legunt interpretantur, aperte significas te de monachis tā male sentire, ut etiā optimus ipsorū quisq; suspectus tibi sit, ne quā præfert sanctitatem, hypocrisis sit, atq; pietas simulata, nec aliter te monachos timere, etiā ad monachatus præscriptum uiuētes, quam laocoon ille Vergilianus danaos, & dona ferētes metuebat. nequis enim dubitare posset, te de optimis loqui, illud addis paulo post. Non ego nūc loquor de his monachis, quorum mores etiam mundus detestatur, sed de iis, quos uulgus miratur, non ut homines, sed ut angelos. Ad hæc ne forte erraremus, putantes a te homines solum, non instituta etiam taxari, in eorum morem, qui fraudem quampiam, aut occultum facinus detegere uolunt, exordiens ais. Cæterū uerum fateri fas est, nōne uidemus arctissimum quodq; monachorum genus, religionis fastigium, aut



in ceremoniis, aut in certa lege psalmorum, aut labore corporum ponere: quorum uita laboriosa iudaicis superstitionibus est plena, nec ab ullis laicorum uiciis immunis, immo in nonnullis magis contaminata. quo in loco, quis non suspicetur, te damnare monachatum: cum etiam in iis, qui arctissime, hoc est maxime omnium ad normam ipsius uiuunt, monachatum nil aliud esse significes, quam uitam laboriosam (licet parum constanter eadem ociosa dicatur, & laboriosa) plenam iudaicis superstitionibus, nullius criminis cæterorum hominum expertem, quibusdam etiam peccatis laicos omnes superantem. Qua oratione monachis atrociter laceratis, accurris idem oleo frigidissimo, quo linas ipsorum contrita capita. præfatus enim te non de perditis ac dissolutis agere, sed de his, quos uulgus miratur, ut angelos, subiicis, quos ipsos tamen offendi non oportet hoc sermone, qui uicia notat, non homines. quod perinde est, ac si quis egregio cuiquam, & innocenti uiro, sed cuius auctoritatem intelligat conatibus suis obistere, periculosum ex industria uulnus infligat, deinde postulet ab eodem, ne se putet offensum, nam eo telo non ipsum, sed alios de quorum crimine constaret, fuisse petitos. Tu tamen calumniatorem uocas Pium, quod plagæ meminerit, & tam salutiferam medicinam fuerit oblitus, &  
illud



illud non absimile tacuerit. Nec clam tunc est, inter eos esse plurimos, qui litteris, & ingenio adiutis spiritus mysteria degustarunt. Quibus uerbis ipse putas omnem reliquæ orationis inuidiam declinari, cum ea tamen constet, nihil ad monachatus commendationem pertinere, sed ad ingenii laudem, & fauorem litterarum, quibus qui fuerit præditus, etiam in monachatu probari posse significas. ut si quid laudis tulerint huiusmodi monachi, doctrinæ referatur acceptum, non monachatu. quæ tu negare soles pietatem esse, sed uitæ genus, pro sui cuique ingenii, corporisq; habitu, uel utile, uel inutile. Cæterum hoc quanquam sit (ut est) contra monachatus dignitatem, tolerabilius tamen fuerit, quàm quod eundem appellas nassam. uelut perinde sit adolescentem ad monachatum allicere, atque pisces ad nassam. si hoc enim est monachatus adolescentibus, quod piscibus nassa, certe nassam nemo ignorat, depulam esse piscibus mortiferam, & insidias perniciosas. Quorum dictorum non immemori Pio, te monachatum magnopere sublatum uelle, suspicionem addidit, hoc quod scribis idem in principe christiano, Et forsitan expediret reip. monasteriorum esse modum. Nam quem semel, & repente tolli non posse intelligebas, sensim paulatimq; decrescendo, penitus aboleri posse, forsitan illi uidebaris sperare. Sed tu dictum excusas

H



Deus immortalis, quam negligentet. nam pri-  
mum sic ais, qui dicit fortasse, non asseuerat.  
quod uerū esse facile tibi dedisset Pius, qui uim  
(puto) talium uerborum non ignorabat. Sed  
quid prodest aduerbium fortasse non adhiberi  
testimoniis, quibus quæ uiderint iurati homi-  
nes testantur, nec cum aliquid asseritur, de quo  
dubitare nemini liceat, quales sunt articuli fidei,  
& mathematicorum axiomata, si constet, id  
passim ab eis usurpari, qui in re controuersa su-  
am proferunt sententiam, & quid maxime pro-  
bent, enuntiāt: quod ab Aristotele summo phi-  
losopho fuisse in primis factitatum, cū alii eius  
cuiusq; generis libri testantur, tum ii maxime,  
quos de moribus scripsit, quorum doctrina nō  
proxime abest, a certitudine mathematica. ubi  
nulla ab eo frequentius usurpantur uocabula,  
quam fortassis, & uidetur. Quæ quoniam non  
tam cunctationis, quam modestiæ notæ sunt,  
idcirco uulgo ab eruditis temperamenta philo-  
sophica nuncupantur. Deinde negas te simpli-  
citer dixisse expedire, ut sit monasteriorū mo-  
dus, sed expedire reip. Addisq; te principi scri-  
bere, nō episcopo. quasi uero reip. possit quidq;  
expedire, quod sit contra religionē, eiusue quo-  
quo modo maiestatem, uel auctoritatē minuatur,  
aut principis Christiani religionis cura, nō de-  
beat esse prima, atq; omnium longe maxima.



Sed de monasteriorū modo haud equidem credo, Albertum Pium fuisse tecū magnopere depugnaturum. Nemo est enim tam monachorū studiosus, qui uelit omnes, uel plerosq; ciues esse monachos, aut tot esse in urbe monasteria, ut ciuium domibus numero, atq; opibus adæquentur. Sed cum a te uideret monachos iam histiones, ac hypocritas, iam uelut fucos, tum quasi porcos saginæ deditos appellari, interdum etiā pediculolos, uelut exprobrante ipsis paupertatem a christo imprimis commendatam, Ad hæc monachatum affirmari non esse pietatem, sed uitæ genus, & hanc uitam etiam in arctissime uiuentibus plenā esse iudaicis superstitionibus, & nullis non uiciis laicorum implicatam, Item ad monachatum non aliter adolēcentes rerum imperitos allici improbissimis hortamentis, quā pisces ad mortiferam nassam, ad summam cum animaduerneret, te passim in monachos inuehi uelut perditos, dissolutos, auaros, & impudētes, aut certe simulatores, & quasi pharýsaos, uel proxime accedentes ad iudeorum superstitiones, nihil mirum est, si te cū monasteriorum modum præcipere audiebat, aliquid præterea grauius, & monachatus abolitionem moliri suspicabatur.

Sed a monachorum causa ipsa nos res admonere uidetur, ut ad quæstionem de cultu diuorū

H ii



transeamus, Nec enim desunt homines non in-  
urbani, qui tuis colloquiis perfectis, te cauillens-  
tur in eis potissimum Lucianum magistrū, non  
solum scribendi, sed argumēti etiam genere imi-  
tari uoluisse. Lucianus enim (quod tu maxime  
nostis) hō natura festiuissimus, sed philosophis  
magnopere infensus, & a cultu deorū, quos nul-  
los esse putabat (si quis unquam) alienus, dialo-  
gorum seueritatem, quibus ante ipsum res dun-  
taxat ad naturam, aut mores pertinētes tracta-  
bantur, ita remisit, ut eos coegerit lusibus, & io-  
cis comœdiarum inseruire, & dialogum cum co-  
mœdia primus omnium (quod ipse gloriatur)  
copulauit. Quo genere scribendi in nullos ma-  
gis per risum, & iocum inuehitur, quam in de-  
os & philosophos, Te igitur uideri dicunt, certa-  
re uoluisse cum Luciano, ne ille festiuus græce  
deos, & philosophos, quam tu latine, eodem scri-  
bendi genere, diuos, & monachos, res quæ uide-  
ri possunt non penitus absimiles exagitare exi-  
stimetur. a qua suspicione haud longe uidelicet  
abhorrens Pius, non temere rationē a te poscit,  
cur qui Pium te, & maxime Christianum esse  
profiteris, ea cum alias, tum maxime in collo-  
quiis scribas, quæ cultum diuorum beatæq;  
uirginis superuacaneum esse significare uidean-  
tur. Quæ tu primum sic excusas, colloquia  
opus esse in hoc comparatum, ut illecebra uos



luptatis pueri ueluti per lulum discant latine,  
nimirum ut hac ratione doceas, iniqui esse, &  
morosi iudicis, exacte in ludo puerili rationem  
dictorum, ac seuerè postulare. Nemo a te petit  
Erasme, ut quando ex fastigio theologiae, & sa-  
crarum litterarum enarratione in istam curam,  
ut pueros latine doceas, te demittere non graua-  
ris, ea porrigas legenda pueris, quæ ipsos uel se-  
ueritate orationis, uel materiae obscuritate a le-  
gendo deterreant. Sed illud quis probet talibus  
fabulis informes puerorum animos imbuere uel-  
le, ut ab ineunte ætate discant religionem si non  
contemnere, certe minus reuerenter colere, nec  
diuos uenerari, ad quorum imitanda exempla,  
cunctis rationibus accendi, prouocariq; debe-  
bant. Nec enim ignoramus, quid Aristoteles cæ-  
teriq; philosophi, magniq; uiri præcipiant de  
puerorum educatione, & quanti referat ad uir-  
tutes, & pietatem, ac his opposita, quibus res-  
bus homines uel delectari, uel dolere, a tene-  
ris assuescant. Ducuntur maxime fabulis, & lusi-  
bus pueri, quis ignorat? sed nullus ne iocus, aut  
statim frigidus erit, in quo monachi, sacerdotes,  
diui, christi mater, ipsa deniq; religio christiana  
materiae nõ bonam partem suppeditauerit? Aut  
minus habebitur blasphemus, qui res diuinas,  
& sacras riserit, quam qui iratus maledixerit in  
quarum rerum cultu, siue administratione, si quid



esse putabas, quod propter simplicium hominum ineptias, & superstitionem, aut fortassis sacerdotum quorundam cupiditatem, merito taxari posset, parcus erat agendum, & serio, nec usquam minus, quã in iocosis libellis, quos pueris dicatos, pueris etiam scribebas, nequid ei simile faceres, quod de Lucilio tradit Horatius,  
Dummodo risum (inquit)

Excutiat sibi, non hic cuiq; parcat amico.

Et quaecunq; semel chartis illeuerit, omnes

Gestiet a furno redeuntis scire lacuq;

Et pueros, & anus.

Sed quãquam cerebrofos appelles eos, qui huiusmodi iocorum rationem te seuerius repossunt, pergis tamen illud tuum admirandum, plenumq; pietatis naufragium ab omni culpa defendere. Nam pinguntur illic (ais) uarii uulgarium hominum affectus, quorum suos quisq; prodere solet in tali discrimine. Sed priusq; dico de naufragii dialogo, quid sentiam, indicabo tibi Erasme meam negligentiam, profiteor enim me ad id usq; tempus, quo hanc scribendi curam suscepi, reliquorum scriptorum tuorum per pauca, & carptim, colloquiorum autem ne uerbum quidem legisse. eadem nimirum ratione, quam de Alberto Pio memorauimus, q; theologiam ex sacris & litteris, & doctoribus, philosophiam ex Aristotele, eloquentiam ex Cicerone, q; ex libris Erasmi, licet sint



Cut sunt) eloquētes, & eruditi, huberius mihi cō  
tingere posse existimabam. Sed hoc labore sus  
cepto, ne mihi uere obiicere posses, quod de Al  
berto Pio leui sane ex causa suspicaris, uoluisse  
me de tuis libris antequam legerem, iudicium  
facere, & alia uidi, quæ opus esse putauī, & ali  
quot colloquia perlegi, sed illa imprimis, in qui  
bus de funere agitur, de naufragio, de peregrina  
tione religionis causa suscepta. Quæ cum lege  
rem, deus immortalis, quantum ego risi, quam  
mihi præ te uisus est ipse quoque facetiarum  
pater Lucianus frigere, sed illa iocorum, atq; sa  
lium iocunditate, quæ sæpe mentem obcæcat,  
quo minus uideat, si quid mali sub ea latitat re  
frigerata, rem paulo seuerius intētioriq; animo  
recolere cœpi. ubi cum ea quæ de affectibus ab  
animo pio profectis edisseris, sine risu perpen  
dissem, da ueniā Erasme, non potui nō magno  
pere in eā suspiciōne uenire, in qua erat Alber  
tus Pius, te cū ea scriberes, lōge aliam mentē ha  
buisse, quam ipse nunc affirmas, dum improp  
erantibus satisfacere laboras. in quo si forte fal  
sus sum opinione mea, difficile est enim Erasmo  
maximo uiro, de animi sui sententia in causa  
pietatis testificanti non credere, illud certe con  
firmare possum, te maximam occasionem des  
disse, ut quicumque ea tua colloquia legerit, pu  
tet, te de monachatu in funere, de cultu diuo



rum in peregrinatione, de hoc ipso, & uocali confessione, ac de uotis nuncupatis, non recte sensisse in naufragio. Nam (ut redeamus unde fueramus digressi) quod ipsum excusas, quasi in eo nihil aliud, quam uarios uulgarium hominum affectus descripseris, nihil affers, pios enim religionis affectus sic depingis, ut ipsos plane irridere uidearis. At non statim (inquis) probo, quidquid ibi gestum est, ut rursus nec improbo, si probo omnia, commemoratur illic confessio sacramentalis, si improbo omnia, damnata est inuocatio Dei. Non erat opus tibi tam pulchro dilemmate, ut nobis fidem faceres, te non omnia improbare, quæ gesta narrantur in naufragio, de hoc enim neminem ambegisse puto. Illud tamen nullis unquam argumentis persuadebis, te non Adolphi personam probare, qui functus periculo totam fabulam enarrat. Hinc enim facis prudentem hominem, & ab omnibus ineptiis, ac superstitione alienum. At hic nec confessus rite est, ut alii, cum esset copia sacerdotum, nec in summo discrimine de uoto nuncupando, ut cæteri, cogitauit, nec denique diuorum quenquam, quod alios inepte facere putabat, sed solum Deum inuocauit, licet qua ratione inuocandi sint diui, nimirum ut apud Deum pro nobis intercedant, se nouisse apertissime declaret. Erras igitur Erasme, si te nullam putas in eo naufragio iacturam  
opi



opinionis, quæ de tua singulari pietate habebatur fecisse, apud uiros graues, & egregie pios, quorum sententiam semper est secutus Albertus Pius.

Nam quid ego de peregrinationis dialogo dicam? quo (si quis non prorsus obesus, & tardus) accuratius perlecto, te non putauerit diuorum cultum deridere, uelut plane superstitiosum, & inanem, nullisque nisi sacrificis fructuosum, qui per huiusmodi figmenta plebeculæ christianæ, simplici ruditate ad suum quæstum abutantur, nihil recuso, quominus ipse per me uiceris, & Albertus Pius mendax, & calumniator habeatur. in quo de cæteris diuis nihil est quod conquæramur, cum ipsi beatissimæ uirginis Christi matris tuus ille dialogus uideatur insultare, conficta epistola ipsius ad Glaucoplutum, qua facis eandem primum Glaucopluto, ac potius Luthero gratias agentem, quod superuacaneum esse docuerit, diuos inuocare, deinde omnia prope modum pia, & impia uota mortalium damnantem. Quid enim habet uel impietatis uel ineptitudinis, si clamet grauida, da mihi facile partum, nauta, da prosperos cursus, Agricola, da tempestiuam pluuiam? Aut quantum abhorrent ista, a quotidiano pane, quem christo auctore, pie petimus a patre cælesti? Cuncta enim hæc ex eorum genere sunt, quæ (ut Augustinus



ait non appetitur propter se, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personae hominis, quo habitu non sit inconueniens eis, cum quibus honeste uiuendum est. Quam orationem sic concludit Augustinus. Ista ergo cum habentur, ut teneantur, cum non habentur, ut habeantur orandum est. Iam ea petitione quid potest esse honestius? aut magis pium? si clamet Aulicus, da uere confiteri in mortis articulo? Et episcopus, serua meam ecclesiam? At haec omnia uirginem dei matrem facis uelut inepta, & inania fastidientem. Sed tu rursus, ut epistolam excuses, ad iocorum latebram recurris, uelut ioci, & lusus nulla sit reddenda ratio. quod perfugium, quam parum habeat praesidii in sacris diuinisque rebus, abunde ( ut arbitror ) dum de moriae stulte dictis ageretur edocuimus. Sed cum tu moriae dicta, quibus piorum aures offenduntur excuses, quod personae stultitiae in ea maxime fuerit inseruitum, quo modo uel crimina uel ineptias excusabis eius epistolae, quam idem tribuis uirgini matri? cuius personae nihilo secius erat seruiendum? An cum decoro laudabit christi mater haereticorum impietatem, quae tollit diuorum cultum? sacris doctoribus (ut docet Pius, neque enim hic actum agere oportet) reclamantibus? Cum decoro damnabit mortalium uota, etiam quae Christus probaret? Cum decoro ambitio-



iam leuitatem præ se ferret? & conqueretur? q̄  
solita gemmis, & auro uestiri, mutatoriis, aureis  
isq; & argenteis donariis abundare, iam uix tes-  
gatur dimidiato palio, eoq; a muribus corroso.  
Non probat inquis uirgo, q̄ Lutherus damna-  
rit inuocationem sanctorum, at tu cogis ipsam,  
ut epistola sua se probare fateatur. Cui magis,  
quam ipsi de sua sententia credendum est: quæ  
uelut cauens, ne posset ignorari, quo tempore  
Christianorum uita beneficio Lutheri fuerit ea  
superstitione liberata, diem adscripsit caleñ. Au-  
gusti, anno filii sui passi. 1524. Quo in loco cum  
talem tuorum dictorum excusationem nemini  
probari posse perspiceres, eam orationem usur-  
passi, qua multi significare solent, quæ aduers-  
sarii, ut uerissima, & indubitata opposuerint, ea  
se pro falsis ducere, uel ad modum incertis. Ex-  
clamas enim, o blasphemiam, & mox addis, in-  
uocatio sanctorum non est articulus fidei. At ne  
peccata quidem confiteri inter articulos fidei  
commemoratur, si quis tamen peccatorum con-  
fessionem ab ecclesia, sacrisq; doctoribus rece-  
ptam tollere uelit, An non is protinus & erit, &  
habebitur hæreticus? Sed pergis. Quid sequi-  
tur? commemoratur intolerabilis superstitio ho-  
minum omnia ex postulantium a uirgine, quasi  
possit imperare filio cum patre regnanti, nec illi  
fas sit, quidquã negare præcipienti, cum non



dum sit emancipatus. Quisquam ne tam tardus est, & a communi sensu hominum alienus, ut hoc animo accedat ad uirginem matrem exorandam? Aut si cui forte deliræ anui, quæ prorsus iam desipiuerit, tale quidquam posset accidere, propterea ne cæterorū preces, quæ piam interpretationem habent calumniabimur? quales hæ sunt, quas patulo ante memorauimus, & nauatarum acclamationes, quas rides in naufragio, Salue regina, stella maris, regina cæli, domina mundi, porta salutis, quas cum Pius optimam, & commodissimā interpretationē habere doceat ipse urges, & periculum esse ais, ne istæ commodæ interpretatiōes, inducant nobis p̄ religione superstitionem. Sed tibi Pius uicissim, & uerius fortasse dicat, periculum esse, ne istæ iocosæ cauillationes, pro risu pariant nobis impietatem. præsertim cum eo licentiæ processerit iocus, ut ausus sit, uirginem christi matrem uenari in maris præfectura sufficere. Quanquam ego non uideo, cur tantopere acclamationibus illis nauatarum uirginem matrem inuocantium Erasmus offendatur, cū Chrysostomus uir sanctissimus, & idē doctissimus, multo pluribus, maioribusq̄ titulis crucem prosequatur, cunctis christianis, etiam eruditissimis, & maxime piis approbantibus. Crux inquit spes christianorum, crux, dux cæcorum, crux nauigantium gubernatrix, crux



periclitantium portus, crux debellatio diaboli,  
crux lumen in tenebris sedentium, & item cen-  
tes crucem in eadem homelia talibus uocibus  
appellat. Sed ad epistolam redeo, qua si tibi  
bellum uidebatur, hac quoq; in parte Lucianū  
imitari, qui Saturnum facit simili epistola sibi  
Luciano pro pauperibus respondere, saltem il-  
lius diligentiam, atq; curam non neglexisses.  
Saturnus enim Lucianicus, nec gratias agit  
Diagoræ, aut atheo cui piã alteri, quod sui, cæ-  
terorumq; deorū cultum submouisset, & ea so-  
lum uota pauperum reiicit, quæ nemo non ui-  
det esse ridenda, quale illud, ut omnes homines  
pares opibus fierent, & facultatibus, at Era-  
smica uirgo primum gratias agit tollētibus sui,  
ac cæterorum diuorum cultum, deinde pleraq;  
uota hominum incusat, quæ honestissime a di-  
uis, tãquam apud Deum intercessoribus petun-  
tur, Postremo suam ambitionem, & auariciam  
fassa, haud obscure docet diuorum cultum sine  
ulla alia, quam sacrificorum quæstus iactura  
posse ab hominum mentibus aboleri. Quæ cū  
talìa sint, & tam scandali plena, tu tamen ferre  
non potes, q; tibi obiiciantur a Pio, & satisfactū  
putas, si dicas, Sunt hæc ludicra, fateor, sed non  
minus ludicra sunt, quæ docet Bedda. Ego quid  
doceat Bædda nescio, neq; enim mihi cupienti,  
dum hæc proderem, contigit ipsius scripta uide



re, illud scio, ista epistola ut matri uirgini, & cæteris diuis contumeliosa, omnium, non dico egregie piorum, sed honestissimorum, grauiumq; uirorum aures, animosq; uehemēter offendi.

Sed quoniam quibus in colloquiis uisus es Alberto Pio de cultu, & inuocatione diuorum non satis religiose sentire, in his de uotis, ac uotorum nuncupatione, suspectam eidem mentionē non semel facis, haud erit alienū post diuorum cultum, aliquid de uotorum nuncupatione dicere, & qualis sit hac in parte illius censura, parū perdisputare. qui cum proferat multa loca ex uariis tuis scriptis decerpta, quibus uotoꝝ nuncupationem uideri potes improbare, respondes primum, te non improbare uota, sed uota non necessaria, uel inutilia. Rogatus autē a Pio, quæ sint uota inutilia uel non necessaria, ire inquis hierosolymam, nulli necesse est, qui non uouit, cum possit Christi uestigia melius in Euangelicis litteris uisere, est etiam inutile, si domi relinquit uxorem, & liberos, quibus ipso præsentē est opus, nec fortassis inutile tantū, uerum etiam perniciosum. Plus respondes interrogāti, quam ipse cupiat a te doceri. Quærit a te quod sit uotum non necessarium, & inutile, ipse pro exemplo subiicit, quod est nō modo inutile, sed etiam perniciosum. talia enim uota nemo non uidet stultissime suscipi, si præstari sine magno crimi



ne non possunt. quod his accidit, qui naturæ,  
atq; diuinis legibus neglectis, quibus adesse  
uxori, eandemq; & liberos alere nostris labori-  
bus, si non detur aliunde, iubemur, uoluntariis  
uotis in suorum perniciem obligantur. Non  
igitur quærit Pius, quæ sint etiam damnosa uo-  
ta, sed quæ solum nõ necessaria uel inutilia, non  
quod nulla putet esse inutilia duntaxat uota,  
multa enim a theologis gratia exempli memo-  
rantur, ut si quis uoueret, se panem gladio nun-  
quam diuisurum, aut caput nunquam die ue-  
neris loturum, quæ nec opere, nec exemplo pie-  
tatis, sint cuiquam profutura. Sed quia tu quo-  
ties in hanc mentionem incidisti, sic scribis de  
uotorum nuncupatione, ut omnia uota uelut  
inutilia, & superuacanea, si non etiam stulta,  
& perniciosa damnare uidearis. quod aperte fa-  
cis in naufragio, & in colloquio peregrinatiõis.  
Sed agedum responde mihi pro Pio, si a uotis  
non necessariis, aut etiã inutilibus abstinendum  
censes omnibus christianis, quæ tandem putas  
esse suscipienda? Aut illud potius responde, a  
quibus uotis ut abstineant admonendos esse  
censes omnes christianos, ea utrũ suscipere bo-  
num esse putas, an secus? & crete negabis. Nã  
cur si suscipere malum non sit, ab ipsis iubeas  
abstinere? At per te abstinendũ est ab omnibus,  
per te igitur quodcũq; uotum suscipere malum



est. Non ab omnibus inquis abstinendum dico, sed a non necessariis, uel inutilibus, & hæc temere suscipi a christianis affirmo. Audio, sed quod tandem putas esse uotum, quin sit uel inutile, uel certe non necessarium? An potest esse quidquam magis contra uoti rationem, quam si necessitate aliqua nūcupatio eius extorqueatur, cum uotum a theologis definiatur, testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de iis, quæ Dei sunt fieri debet. Nec enim puto eam in te leuitatem cadere posse, ut uota necessaria dicas, quæ de rebus ad eternam salutem necessariis susciperentur, quæ res præceptis contentæ aut nullo modo uotis quasi materiã subministrant, aut certe nimis improprie, & hoc quatenus eadem sunt uoluntariæ. Ire inquis Hierosolymam nulli, qui non uouit necessarium esse dicis, & recte dicis. Nam neque omnino est necessarium, nec ad bene, beateque uiuendum, citra hoc enim potest felicitas contingere, sed eadem ratione, nec uirginitatem, aut quoquomodo castitatem seruare, alioquin nuptiæ damnarentur, atque cætera eodem modo. Omnia igitur uota temere suscipiuntur, porro temere suscepta idem pro nullis ducenda esse confirmas, ex quo fit, ut nullo uoto possit quisquam obligari, quod est dogma Lutheranicum, & a pessimis quibusque monachis, & presbyteris maximo plausu receptum. Cur  
er



ergo Pium incusas, q̄ talibus tuis dictis, offens  
datur? Sed loquor inquis de uulgaribus uotis,  
At multa uulgaria uota sancte, & pie suscipiun  
tur, & hoc ipsum in primis quod pro exemplo  
posuisti. Si quis incensus desiderio ea loca uide  
di, & adorandi, ubi Christus natus, educatus,  
atq; mortuus est, ut genus humanum redime  
ret, uoueat ire hierosolymam, nullo officio, quod  
præstare cuiquam debeat, tali uoto refragante.  
quod uotum tam sanctum esse uoluerunt maio  
res nostri, sanctiq; patres, ut eius cum paucissis  
relaxationem soli Pontifici Maximo, eccles  
siae decreto detulerint. Si hoc igitur uotum, nihil  
ueritus auctoritatem ecclesiae, temere suscipi  
constituis, propterea quod non sit necessarium,  
ac proinde habendum esse pro nullo. Quid de  
aliis putandum est, quæ quâquam sint pia, &  
sancta minus tamen grauitatis habent? Sed me  
lius inquis uestigia Christi in litteris euangeli  
cis uisuntur. fateor, Sed cur his piam diligentiam  
inuideamus, qui lectis, & fortasse relectis euan  
geliis, loca uisere cupiunt, ubi quæ legerint, gesta  
sunt? Sed morem gerat inquis animo suo, si cui  
cordi est hierosolymam, aut compostellam ui  
sere, uotum interponere non est necesse. Audit  
uerba Pius, sed quorsum spectes, attendit. Nam  
primum sentire uideris opus pietatis melius li  
bere agi, quam ex uoto, reclamantibus theolo

k



gis. Deinde pergis, & talia uota temere suscipi  
dicis, tum addis, temere suscepta pro nullis esse  
habenda, quod nihil est aliud, quam omnium  
talium uotorum obligationem tollere. Age ue-  
ro si a uulgaribus tantum, & non necessariis uo-  
tis abstinendum esse, & ea temere suscipi putas,  
de reliquis, quid tandem censes? de continentia  
inquam, religionisque uotis, quae nihilo magis  
sunt necessariae: haec enim potissimum a uoto-  
uulgari turba uideris eximere. Plurimum inquis  
conduceret ad expediendam causam matrimo-  
nii, si statuerit ecclesia, uotum castitatis irritum  
esse, nisi cum auctoritate praesulis suscipiatur,  
quem oporteret in hac re esse difficillimum, de-  
inde inter simplex uotum, & solenne non esset  
tantum discrimen. Iam hic quis non uideat,  
tibi non magnopere placere, ut suscipiatur uo-  
tum castitatis? nam de religionis seu monacha-  
tus uoto quid sentires, abunde quae supradixi-  
mus declarant, Caeterum quid hic (inquis) aliud  
agitur, quam ne coniugati uoueant continen-  
tiam sine auctoritate praesulis, quem in suscipi-  
endis talibus uotis nolo esse facilem? & tamen  
addo, si statuerit ecclesia, Agnosco Erasmi respō-  
sionem, qui ut in multis aliis, sic hoc loco ad par-  
tem reuocat accusatus, quod ante dixerat in uni-  
uersum. sine exceptione scripseras uotum casti-  
tatis, nunc de tali coniugatorum uoto, te uis in-



telligi locutū, propterea quod agitur de matrimonio. diceres aliquid, si uota castitatis ante nuptias suscepta nihil obessent matrimonio, nunc cum simplex libertatem impediatur sollicitandi coniugem sine peccato ad liberorum operam, solenne distrahat etiam secutas nuptias ecclesiæ decreto, cur te putaret Pius de coniugatorum, non de quorūcūq; talibus uotis locutum? Nec tamen inquis damno decretum ecclesiæ, sed plurimum dico conducturum, si sic statuerit ecclesiæ, hoc enim potest ecclesiæ. Potest, quis ignoratur? si satius esse iudicauerit. Potest enim & longe maiora, Nunc cum summa ratione, atq; duce spiritu sancto, qui legibus ecclesiæ sapientissime pro temporibus moderatur, aliter ecclesiæ uisum sit, non potest æquo animo ferre Pius, quod tibi non satisfaciat, & cupias, discrimen tolli, inter simplex & solenne uotum, quo sublato, quid oberit monachis, aut presbyteris, quo minus ducere possint uxores, quod non facile sumoueat? cum matrimoniū non dirimatur simplici uoto, nec secuto, nec antegresso. An te non uides maximam ansam præbuisse Lutherō, ut cum alia, tum imprimis uotum continentiae damnaret, & monachos, ac presbyteros ad nuptias inuitaret? qui nec illud prodere dubitasti, eos malo afflari spiritu, qui clam, aut inuitis parentibus sese dedunt in mo-



nafterium, unde fe extricare non ualeant, propter uotum uidelicet folenne, quo loco recitato, uelut cuncta fint cū ſumma pietate dicta, Quæris. quid in his nō probet Pius, An impie dictū putet, eos malo afflari ſpiritu, qui inſciis, aut inuitis parentibus dedunt ſeſe in monaſterium. An ille non putaret, opus pietatis, cuius ſi non ſemper, certe plerūq; ſanctus ſpiritus eſt auctor, malo ſpiritu acceptum ſine exceptione impie referri: quam contumeliam conſtat minime omnium tuliffe chriſtum. Sed illud inquis a me dictum nō eſt. Quid igitur uerifimilius eſſe multos <sup>malo</sup> afflari ſpiritu. Recita totum locum. Atqui palam eſt, q̄ multos afflauit ſpiritus ſtultitiæ, temeritatis, phreneſeos, ambitionis, auaritiæ, libidinis, & luxus, certe eos, qui clā, aut inuitis, parentibus, quibus lex diuina iubet obediri, dedunt ſe in id uitæ genus, unde non queant ſeſe in poſterū extricare, uerifimilius eſt, malo afflari ſpiritu. Hic uerbum multos non uideo additum eſſe in parte orationis poſteriore, ſed abſolute dictum, certe eos, quod plane ſignificat conſuetudine ſermonis latini, exceptionē ſtatim in uniuerso factam, in ea parte nullam eſſe. tu tamen uerbum multos quod ſtatim præceſſerat, ſubaudiendum eſſe contendis, Hoc ſi cuiquam mediocriter perito ſermonis latini perſuaſeris, falſo (ut ipſe uis) & calumnioſe collegit Pius. Sin



aliter quod certū habeo, ne tergiuersemur Eraſme, ſed confiteamur ſummo nos iure ab Alberto Pio, q̄ neq; grauiter hæc, neq; ſatis pie locuti fuerimus inculari. preſertim memores quid doceat Chriſtus in Euangelio. Nam qui amat inquit patrem aut matrem plusquam me, non eſt me dignus. quæ uerba plane ſententiam iſtam redarguunt, qua factum horum condemnas, ea potiffimum ratione, quod patris aut matris uoluntatem, pietati in Chriſtū non ante ponant. merito igitur increparis, quod ea de uotis prodideris, quibus omnia uota uideris improbaſſe. Aut certe ( quæ non leuis eſt culpa ) publico de iſtis eccleſiæ, & chriſtianorum decretis obtinur murare. quaſi plus uideat unus Eraſmus in rep. chriſtiana, quam tot oculatiſſimi, grauiffimi, ſapientiffimiq; uiri quorum ſententia, & auctoritate, ſuggerente ſpiritu ſancto, hoc ſtatuit eccleſia, quod Eraſmus uellet emēdari, nō de uotis ſolū, ſed etiā de pleriq; rebus aliis, ut in negotio matrimonii, de quo item ſcribis, tibi uideri multo minus perplexum fore, ſi quæ de cognatione ſpirituali cōſtituta ſunt, exhortationis uim habeāt, nō præcepti. ¶ Nec lōge aliter diſſeris de ceremoniis, quarum encomium ſatis impudenter ſuo more Pium aſſumpſiſſe, non ſatis ipſe modeſte cauillaris, quem locum, qui nobis erit ultimus in hac cauſa, ubi Pius alio tamen



ordine urget, respondes, te de hac re iam sæpe,  
atq; multis respondisse, quod quid habet argu-  
menti, nisi te sæpe, & multis nõ satisfacisse: Non  
damno inquis ceremonias ab ecclesia constitu-  
tas, sed hominum superstitionas tantum, aut ho-  
mines his fidentes, & in his conquiescetes. Hoc  
si uerum est, miror tot, tamq; oculatos uiros in  
re non obscura hallucinasse. Recita igitur loca,  
in quibus cum Pio tam multi cæcutiūt. In me-  
thodo inquis scripsi, euolue testamentum omne  
nouum, nihil unquam inuenies præceptum, qd  
ad ceremonias pertineat. Hic cum te pius cita-  
tis locis apertissime redarguat, recipis te ad no-  
tissimum, sed debile in primis perfugium, ut an-  
guste reuoces ad partem, quod latissime dixeras  
& in uniuersum. Nam te de cibis duntaxat &  
uestibus ac inedia, & talibus locutum esse uideri  
uis, non de aliis, de quibus docet pius factam es-  
se mentionem in nouo testamento. Ingeniosa ni-  
mirum responsio, & quæ ad plurimos nodos  
explicandos facile possit accommodari. Si quis  
igitur aristoteli omne animal pulmone præditū  
esse præfatus piscium & insectorum exemplo re-  
darguatur, quibus negat idem philosophus  
eam partē a natura datā, strenue expediet Era-  
smo auctore difficultatē, si non de aquaticis, sed  
de terrestibus dūtaxat animalibus, eisq; spiranti-  
bus dictum suum intelligi se uelle reclamet.



Ita cum te urgeat tua definitione, qui ceremoniam esse definis, quod quid externe geritur, ad cultum diuinum, uel religionem pertinens, ut per te sacramenta quoque sint ceremoniis annumeranda, de quibus plurima mentio est in Euangelio, cum igitur te Pius tuis armis ad hunc modum oppugnet, confugis idem ad Aristotelis doctrinam, qui uerba interpretari iubet secundum materiam subiectam, quasi huic precepto sit locus, ubi interuenit definitio, quam idem philosophus nullam esse docet, si uel tantillam exceptionem patiatur. Nam quod ais, te de sacramentis non ambigere, & ea in multis tuorum operum locis probare, hoc Pius dicat non erratum tolli, sed indicari potius tuorum dictorum incostantiam. ut Marcus Tullius de Epicuro tradidit, qui cum summum bonum uoluptate metiretur, interdum tamen continentiam, & ceteras uirtutes haud quaquam sibi constans laudabat, & sine his negabat felicitatem posse contingere. Sed demus, Erasmus mente sacramenta, quae oratione complectitur, exclusisse, & de ceremoniis, quae ab Apostolis, sanctisque patribus ad nos quasi per manus traditae peruenerunt, non fieri apertam mentionem in nouo testamento, & uerba Methodi quo pertineant uideamus. Non statim inquis damnatur, quod in Euangelio non praescribitur. Istud (opinor) non ignorabat Pius,



sed spectabat, quo caneres nobis istam cantile-  
nam. Nam paulo post scribis, & nos ad hæc  
omnia pene surdi plus quam iudaicis constitu-  
tionibus oneramus christi sanguine liberos. qua  
oratione significas ceremonias inductas esse cõ-  
tra libertatem euangelicam. quæ cum dicta sint  
in uniuersum de ceremoniis rursus dictũ contra  
his ad quorundam peculiarem superstitionem.  
qui ob escam carniũ, aut ieiunium, adigunt  
fratrem ad capitis periculum, homines periculo  
se superstitioni, nam de constitutionibus publica  
cum auctoritate traditis negas fieri menciónem.  
Sed rogo te Erasme, si ceremonias dicis, neq;  
inter has, & illas distinguís, cur alterutras alte-  
ris minus a te dñari existimemus? præsertim cū  
aliis in locis, haud dubie de ceremoniis ecclesia-  
sticis simillima conscripseris, ut in epistola ad  
Episcopum Basiliensem, ubi & alia, quibus dele-  
ctum ciborum uehementer accusas, & sine dele-  
ctu, & illud in primis habetur, Paulatim irrepsit  
consuetudo, quæ diem ueneris pisculentum nos-  
bis reddidit, deinde ubi hoc successit, adiuncta  
est & sabbati dies, nunc & mercurii periclitatur,  
ob idq; genus obseruatiunculas uidemus homi-  
nes affligi, & deniq; mori, sibiq; christianos uide-  
ri, cum sint Iudæi. In ciborum enim delectu, &  
ieiuniis, nostrum onus durius uidetur, quã illo-  
rum, & tamen Iesus Dominus dixit, quod in-  
trat



41  
trat in os nō coinquinat hominem. Quis enim  
non uideat, hic te de institutis ecclesiasticis lo-  
qui, ubi non solū de sabbato, sed & ueneris die,  
quo ecclesiæ præcepto ab esu carniū abstine-  
mus conquereris? An nos hic quoq; iubebis im-  
periose, ut de carthusianorum, aut aliorum pe-  
culiaribus constitutionibus hæc dicta esse intel-  
ligamus? Quo in loco aperte redarguit obliuio-  
nem tuam Pius, qui cum scriberes, paulatim ir-  
repsit cōsuetudo, quæ diem ueneris pisculentum  
nobis reddidit &c. non memineris Augustini  
etiam tempore quarta, & sexta feria, ac sabbato  
ieiunare solitam esse plebem Romanam, ut ipse  
Augustinus scribit ad Casulanum. nisi forte ie-  
iunantes carnibus tū uesci solitos (quod ~~namque~~  
~~et~~ sine ratione dixeris) contēdas. Vbi cū scribas,  
onus nostrū, dubitari nō potest, quin de christia-  
nis uniuersis, & communibus ecclesiæ decretis  
uerba facias, ac perinde cum ais in eadem epi-  
stola. Quod si pietas non periclitatur ex cere-  
moniis, cur Paulus tanto ardore pugnat aduer-  
sus ceremonias mosaicæ legis? Quo in loco  
te Pius apertissime conuincit, male colligere ce-  
remonias in uniuersum a Paulo damnari, pro-  
pterea q̄ mosaicas dānet obsistentes euāgelicæ  
libertati, tu tamē ridēdo te posse putas hāc in-  
uidiam declinare, sic enim cauillarīs, hic docet  
nos Pius dialecticā, male ex particulari colligi

L



uniuersalem, & mox addis, Non dico uir acutissime, q̄ dānarit ceremonias; sed quod aduersus illas contra christi gratiam inualescentes pugnarit. Immo uero dicat Pius, quod mosaicas damnauerit Paulus, argumentum ipse facis, ceremonias quascunq; obesse pietati, ac proinde has, quibus nunc utuntur christiani. Sed quæris quomodo damnaret Paulus has nostras ceremonias, quas non nouerat? difficilis quæstio, tu tamen uicissim responde, Quomodo cum nostri temporis simoniam taxamus, hanc dicimus a Petro damnatam? Viderat ne Petrus, huius temporis peccata? An quod in genere damnatur, id non magis in præsens, quam in futurum damnatum oportet intelligi? In eundem sensum dictum est, quod Pius improbat, ex epistola ad Vuolzum. Si mediocris ais religionis pestis lateret in ceremoniis, Paulus non tam acriter in omnibus suis epistolis, in eas destomacharetur. Quæ uerba sic nunc interpretaris, latet in illis pestis non ex ipsarum natura, sed ex hominum uel superstitione, uel hypocrisi. Quod si ita est, superstitio, & hypocrisis accusanda erat, non taxandæ ceremoniæ, sine quibus aut uix aut nullo modo religio cōsistit. sacrificia enim qualiacunq;, atq; piæ obseruationes, quæ magna pars est religionis, quid aliud sunt, quam ceremoniæ? Certe nulla natio paulo mo



do humanior unquã fuisse legitur, quæ religionem absq; ceremoniis coleret, licet quidam, ut mahumetæi paucissimis sint contenti, quo plar ne intelligitur, ceremonias natura comites esse religionis. At non offendor inquis ceremoniis, sed multitudine ceremoniarũ indies gliscentiũ, nec dico, eas abolendas, sed contrahendas. Equissima profecto sententia, si quid nimium esset in ecclesiasticis ceremoniis, in cunctis enim rebus extrema esse uiciofa, mediocritatem laudari, rata sententia est philosophorum, qui & illud præcipiunt, ut cum unum extremum nimis inuauerit, declinemus ad alterum, ut hac ratione medio gaudere, eoq; contenti esse incipiamus. quod præceptũ non solũ in ceremoniis, sed in plerisq; aliis rebus taxãdis Erasmiũ fuisse secuti, cum tibi contra tuos obtrectatores adesse nitimur, affirmare solemus. Nihil enim uideo, quo possit honestius tuum institutum excusari. Sed laboramus, cum nobis occuritur magnis documentis, quibus argueris, in hoc præstando tam ualide modum excessisse, ut quantum in te fuerit ipsum uelut lignum fregeris, quod Aristotele auctore in diuersum flectendo, dirigere cupiebas, quibus documentis plenus est liber Alberti Pii. quod igitur immodicas ceremonias tibi placere negas, non tibi succedet Pius, sed quod immodicas facias, quæ ab ecclesia sunt optima ratioe



constitutæ, tibi fortiter aduersatur. Sed tu illius  
epistolæ ad episcopum basiliensem, qua totis  
es uexare ceremonias incufaris, pharmacum  
esse putas in illis uerbis. Non probo contuma-  
ciam istorum, qui palam & insultantes, uelut in  
ludibrium publicæ consuetudinis carnes es-  
dunt, sed hactenus damno, ut docendos, admo-  
uendos, & si res poscat, etiam increpandos exi-  
stimem, non ut parricidii reos deferendos apud  
magistratus. Nam hæc te scripsisse profiteris in  
eos, qui tum Basileæ cœperāt palam uesci ouis,  
& carnibus in quadragesima. Quam periculo-  
sum debet esse malum, cui cogaris mederi, tam  
ancipiti remedio? Aut enim ego, quid dicas,  
prorsus non intelligo, aut ista oratio quam mi-  
nimum fauet ecclesiasticis ceremoniis non  
probo inquis eorum factum, qui carnibus ues-  
cuntur in quadragesima. Isto sermone nihil ho-  
nestius. Sed quorum tandem id factum te non  
probare dicis? An omnium, qui carnes edunt in  
quadragesima? Nihil minus, sed eorum, qui pa-  
lam id faciunt, & insultātes, uelut in ludibrium  
publicæ consuetudinis. Propter scandalum igi-  
tur, & contumaciam, tibi displicere ais istorum  
consilium, non quia faciant contra ceremonias,  
& mores ecclesiæ, aut legē potius firmissimam.  
Nam si præcepta maiorū in singulis prouinciis  
cut Hieronymus ad Licinium scribens est au-



Et or) pro legibus apostolicis habenda sunt, & in omnibus, in quibus nihil certi definit sacra scriptura (ut Augustinus ad Cassulanū scribit) mos populi Dei atq; instituta maiorū pro lege tenenda sunt, quanto firmioris legis uim, consuetudo habere debet, quæ maximo totius orbis christiani, ecclesiæq; in concilio laodicensi consensu recepta, confirmataq; est, & ut fere constat Hieronymo & ut Ignatio Io. euangelistæ discipulo auctoribus ab ipsis usq; christi uel Apostolorum temporibus repetita, ad nostram usq; manauit ætatem. Qui ergo moderate idem, in occultoq; etiam sine necessitate fecerint, horū institutum, quis non putet a te haud admodū improbari. Præsertim cum in eos ipsos, qui palam faciunt, & in ludibrium ceremoniarum, & uetustissimæ consuetudinis ecclesiæ, non aliter animaduertendum esse censeas, quam ut admoneantur, uel cū seuerissime, etiam increpentur. cum tamen constet eos pro hæreticis habendos, qui peruicaciter, & insultantes contemnunt huiusmodi sanctas, & ecclesiasticas consuetudines, & sanctiones. Sed iam finem huic quæstioni faciamus. Nam de festis, de cantu, de cerëis, de ornatu templorum, & aliis id genus ceremoniis cæterisq; rebus longum esset, & ineptum fortasse, singulatim, quæ tu scripseris, & quid summa in eis ratione reprehendat Pius commemorare.

L iii



cum facilis sit de cæteris omnibus coniectura ex his ipsis paucis, quæ inuitante materia pluribus uerbis, quam institueram disserui, summam tamen, neq; enim mihi propositum fuit (quemadmodum supra dixi) ut sententias Pii magno ipsius ingenio atq; doctrina accuratissime confirmatas nouis ipse argumentis per inanem operam corroborarẽ, cū nulla sit inter uos de rebus ipsis cõtrouersia. Sed ut dilutis calumniis, & criminationibus, quæ in pium intendebantur, excusationes, responsionesq; tuas, quibus illius censuram uelut iniquam excludere conaris, parum esse ualidas, quam breuissime possem edocerem. Summa igitur culpa, quam tibi pius cum multis assignat, nõ in eo est, quod quæ recte uereq; sunt a maioribus uel instituta uel tradita, ea te dicant aperte clarisq; uocibus improbare, sed quod de nonnullis ita disserueris periculosis scrupulis seredis, ut nõquam hæresis Lutherana exoritura fuisse uideatur, nisi Erasmi uel ioci, uel morosæ queremoniæ præcessissent, aut si fuisset exorta, non tã facile præparatis hominum animis excipienda, nec tam late manatura. Sic enim nonnulli aiunt, quod ioco dictum fuerit ab Erasmo, hoc paulo post serio Lutherum asseuerasse, quod ille dubitauerit, hunc sine cunctatione asseruisse, Ad summam inquit, quicquid ille innuit, hic strenue, ac dis-



ligenter exequitur. Offenditur multitudine monasteriorum Erasmus, Lutherus omnia monasteria demolitur. Mussat ille, nescio quid, de cultu diuorum, Lutherus cultum diuorum execratur. Alter uult ceremoniis, cantibus, festis modum imponi, alter summouet hæc omnia. De primatu Petri, & ecclesie Romanæ, nescio quid, quaerit Erasmus, Lutherus Petrum redigit in ordinem, & omnes Apostolos pares facit, ecclesiamque, & episcopum Romanum, nihilo cæteris dignitate præfert. Videt aliqd Erasmus, quo decreta quaedam ecclesie possent in melius emendari, Lutherus ecclesie, & conciliorum decretis omnem adimit auctoritatem, & ad hunc modum de plerisque aliis Lutheri dogmatis loquuntur. Sed cur inquis impia Lutheri malitia fraudi sit Erasmo, qui bona, & pia mente de his omnibus disseruit? Hic metuo, ne non desint increduli, ii demque liberi homines, qui se de tali tua mente non nihil dubitare dicant, poenitentiae magis, quam animi constantiae tribuentes, quod postea scripseris in Lutherum, tamen Albertus Pius nunquam tecum impiis, aut hæreticis consensisse putauit, sed hoc egit toto libro, ut te aliqua nec consulte, nec grauiter scripsisse doceret, que Luthero homini turbulento, ac impie factioso occasionem præbuerint, tam magnos tumultus in Dei ecclesia concitandi, dum inseruies partim ambitioni,



quo singularem quandam doctrinam ostentares, partim studio rerum nouarum, quas non tam longe processuras in ipsarum exordio putasses, sed nimiam, & praeposteram multorum, uel superstitionem, uel morum corruptelam in diuersum agendo temperaturas. Quam prouinciam si (ut supra docui) non ambitione suscepit Albertus Pius, ut cum Erasmo contenderet, quem magnum licet, & praestantem uirum, tamen ne uincere quidem uir princeps, & singulari doctrina, acerrimoque ingenio, & maioribus rebus assuetus, ad summam ab huiusmodi ambitione alienus, putasset ad suam gloriam magnopere pertinere, si non item odio tui, quem amabat potius, propter eximiam eruditionem, & eloquentiam, sed ut a te prouocatus, incusatusque, quod temere de tuis scriptistalem opinionem concepisset, simul suam famam tueretur, simul simplices christianos, suspectorum in tuis scriptis, lubricorumque locorum admoneret, haud debebas illi tantopere succensere, ut non solum crederes impudentissimae calumniae de conductitiis, aut precariis operis, sed etiam uirum doctrina, genere, rebusque gestis clarissimum, conuictis, & ipso, & te iudicio cunctorum prudentium indignissimis mortuum etiam lacerares, qui te uel nullo, uel leui admodum maledicto, idque prouocatus lacefferat. Quanto esset humanius, digniusque  
ho



homine & christiano, & religioso, ut quando uides, multa loca tuorum scriptorū a plerisque omnibus theologis, non solum a Pio, tū scholis, tum libris improbari, partim ut suspecta, & ancipitia, partim ut quiddam grauius præferentia, pareres amicis, sanctisque monitis Pii, ac omnis contentionis oblitus cuncta scripta tua, sed tanquam aliena sedato animo, & de ueritate solum, publicoq; christianorum doctorum iuxta & indoctorum commodo sollicitus, accuratissime recognosceres, omnia lubrica, sinuosa, uel quoquomodo impedita loca, quibus aliquos non temere offendi posse existimares, sic in optimum sensum confirmares, explicares, ac expedires, ut nemo posset talium tuorum dictorum sinistra interpretatione, uel labi in minus pias opiniones, uel quæ bona mente scripseris, quasi malitiose tradita criminari. Nam licet omnia munda essent, tamen auctore Paulo malum est homini, qui per offendiculum manducat. Iubet Deus per Apostolum, a cibis etiã haud dubie mundis abstinere, si periculum sit, ne quis fratrum scandalizetur, nos ab iis, quæ plerisque uidentur immunda, ne complures offendamus, non abstinemus; quãquam enim hoc uariis Apologiis iam bona ex parte præstiteris, quibus obiecta loca ingeniose interpretando, a te nihil non bonamente scriptum esse profiteris, ac probare

M



contēdis, difficile tamē factu est, nimisq; longum,  
tuas Apologias multas, & dispersas perlegere.  
& alioquin ab homine christiano, cui publica  
synceræ pietatis ratio, longe antiquior esse des-  
bet, quam omnis mundana gloria, simplicius  
quiddam desideratur, & illi simile, quod Au-  
gustinus pia simplicitate præstitit in suo libro  
retractationum. qui maluit cum aliquo suæ  
laudis dispendio, ueritati non satis prius ani-  
maduersæ, & christianæ pietati inseruire, quam  
publicam religionis causam, ne quam huma-  
næ gloriolæ iacturam faceret deserere. cuius  
sanctissimi, eiusdemq; sapientissimi uiri exem-  
plum, ut imiteris, illud te etiam atq; etiam ad-  
hortari debet, quod iam tibi per seueram, gra-  
uissimamq; Parisiensis academix censuram, cō-  
munis loci præsidium ablatum est, quo in sin-  
gulos tuos obtractatores, cum applausu non-  
nullorum utebaris, dum eos uel ambitione du-  
ctos, qui cum Erasmo contendere ad suam lau-  
dem pertinere putarent, uel ira, & odio cen-  
suræ tuæ concitatos, in te scribere asseuerares.  
Quis enim credat, si tibi forte hoc ueniat in  
mentem affirmare, tot, tantosq; uiros, tam do-  
ctos, tam pietatis publicæ studiosos, nō tumul-  
tuario consensu, sed longo tempore, & diligen-  
ti consideratione adhibita, dicatis in hoc opus  
diebus, in Erasmus uel odio, uel ambitione



conspirasse, ut temere tam multa loca impro-  
barent in tuis scriptis, aut sine summa ratione,  
libro paulo post Alberti operis editionem  
publicato damnarent: Quorum cum multa  
sint eadem, & quæ Pius annotauit, cætes-  
raq; simillima, tuæ prudentiæ, æquitatisq; fue-  
rit, ut illorum, sic & huius admonitiones in bo-  
nam partem accipere, & a bono, pioq; ani-  
mo, non ab ambitione, aut maleuolentia pro-  
fectas fuisse putare. quod si feceris, multo pro-  
fecto commodius, tutiusq; (nisi me sententia  
fallit) tuo nonini apud omnes bonos, & pios,  
atq; conscientiæ animæq; tuæ prospicies. Præ-  
sertim cum iam ea ætate sis, ad quam cum per-  
uenimus, nihil magis uel decet, uel expedit,  
quam spretis rumoribus popularibus, qui am-  
bitiosis contentionibus interdum colliguntur,  
ea cunctis uiribus, atq; opibus curare, qui-  
bus paulo post nostram causam summo iudici  
probemus, cui nihil magis inuisum est perui-  
caci, aut sui amante, nihil gratius modesto ani-  
mo, & errata sua, utcūq; fuerit admonitus, agno-  
scente. Nec illam curam negligere debes uir  
prudens, & posteritati seruiens, quiq; minime  
uelles, tuarum uigiliarum lectionē cuiquam in-  
terdici, ne si hac ratione, quæ uel sola in id, uel  
potissima tibi patere uidetur, tuorū obtrectato-  
rum conatibus, dum licet, non occurreris, quod

M ii



illi te uiuente, qui tuos libros gratia, & auctori-  
tate tueris, assequi nequiverint, id mortuo pers-  
ficiant, scis enim quos crabrones, & quam ins-  
terdum propositi sui tenaces irritaueris. Quod  
uero ad me attinet, qui causam honestissimam  
summi uiri, & de me optime meriti patroni,  
aduersus iniustas tuas criminationes, & queri-  
monias, quã sine magno meo crimine negligere  
mihi non licebat, egi quam potui modestissime,  
iniuste profecto ages, si meum officium, aut  
pietatem potius in demortui memoriã, ambitio-  
nem quãpiam, tuiue maleuolentiã interpreta-  
beris, Nam si quid esset in me uel ingenii, uel  
eruditionis, quod scribendo uellem ostentare,  
non deerant huberiora, & minus inuidiosa ar-  
gumenta. hic enim quid habet gloriã aliena  
inuenta confirmare? Ohi porro, aut maleuo-  
lentiã nulla nobis intercessit causa, Amoris, &  
beneuolentiã duplex, & magna. Primum quo-  
niam tu quoties de me in tuis scriptis mentio-  
nem facis, hoc, quod ego neq; postulo, neq;  
agnosco, mihi laudis impartiris, quã quo ma-  
ior est tenuitate ingenii mei, hoc plus me debe-  
re intelligo singulari tuã in me liberalitati. Dein-  
de quoniam cum studiorum cõmunio, non pa-  
rum aut soleat, aut debeat ingenuos animos  
conciliare, nos eadem uia ingressi simus littera-  
rum, nisi quod tu superato monte iam tenes



• cacumen, ego adhuc in radicibus hæreo. Neq̃  
enim si assentior Alberto Pio quædam in tuis  
libris improbanti, protinus te non summum  
esse uirum existimo. Nam sis licet quâlibet ma-  
gnus, homo tamen es, ut neq̃ te quisquam mi-  
rari debeat, alicubi fuisse lapsum, nec ipse  
magnopere moleste ferre, si tot a te, tamq̃  
uariis libris editis, aliquæ tuæ incuriæ  
aliorum accurata diligentiâ  
redarguantur.

Finis.

ROMAE APVD ANTONIVM

BLADVM. ANNO. M. D.

XXXII.



## ERRATA.

Vnusquisque quaternio diuiditur in octo paginas.

Pagina 5. uer. 12. in libertū. Pagina 8. uer. 4. omnem.  
 15. agnoscentes. 26. maior. Pag. 27. uer. 22. memini  
 enim Placentiæ. Pag. 28. uer. 13. habeat. 14. excipiat.  
 Pag. 30. uer. 18. unum. Pagina 33. uer. 15. & illum for  
 tassis. Pag. 34. uer. 8. munus. Pa. 37. uer. 10. Erasme.  
 23. respondisses. Pagina 41. uer. 1. efficere posse. Pa  
 gina 45. uer. 13. haud. Pag. 47. uer. 17. magicas. Pa  
 gina 48. uer. 6. garruletur. Pag. 52. uer. 21. breuitati.  
 Pagina 54. uer. 1. obiicias. 17. intellectus. Pagina 63.  
 uer. 5. iudicium. Pag. 66. uer. 19. stultitiæ. Pag. 67.  
 uer. 1. feret. 7. probare. 26. exostulārium. Pag. 68.  
 uer. 8. paulo. Pag. 69. uer. 27. Bedda. Pag. 71. uer.  
 25. certe. Pag. 72. uer. 13. susciperetur. 16. ire Hiero  
 solymam. Pag. 73. uer. 6. refragante. Pag. 75. uer. 11.  
 ignorat. 13. malo afflari. Pag. 77. uer. 11. quod. Pag. 81.  
 uer. 10. consuetudo. Pag. 84. uer. 8. admonendos.  
 Pag. 85. uer. 9. & ignatio. Pag. 86. uer. 21. querimo  
 niæ. 27. summam.







